Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/introductioinjus0001bern

INTRODUCTIO IN JUS CANONICUM

Bibl. Stud
osm
California.

INTRODUCTIO IN JUS CANONICUM

CUM UBERIORI FONTIUM STUDIO

AUCTORE

BERNARDO LIJDSMAN. C.SS.R.

JURIS CANONICI DOCTORE

ET IN COLLEGIO WITTEMIENSI (IN HOLLANDIA) PROFESSORE

260.2
L728

VOL. I

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JURIS CANONICI
DE FONTIBUS EXISTENDI JURIS CANONICI
DE FONTIBUS COGNOSCENDI JURIS CAN. PERIOD. I

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS PONTIFICIAE ANONYMAE
OLIM PAULUS BRAND
HILVERSUM IN HOLLANDIA
1924

Approbationes

Librum, cui titulus: *Introductio in Jus Canonicum cum uberiori Fontium studio, auctore R. P. Bernardo Lijdsman C. SS. R. Juris Canonici Doctore et in Collegio nostro Wittemiensi Professore,* a duobus Theologis Congregationis nostrae approbatum, potestate nobis facta a Revmo. nostro Patre Superiore Generali Patricio Murray, in publicam lucem edi permittimus.

In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, dedimus.

J. Kronenburg. C. SS. R.
Sup. prov.

Amstelodami, die 2 Augusti 1923, in festo S. Alfonsi Mariae de Liguorio Ecclesiae Doctoris et Congregationis nostrae Fundatoris.

Imprimatur

† **Laurentius**
Epus. Ruraemundensis.

Ruraemundâ. d. 11 Februarii 1924.

VIRGINI MARIAE

IMMACULATE CONCEPTAE

MATRI DEI ET MATRI ECCLESIAE

OPUS HOC

IN SIGNUM FILIALIS AMORIS

D.D.D.

AUCTOR.

Praefatio

Pauca sunt, quae huic operi praemittenda esse duxi.

Intentio auctoris est, ad usum potissimum Professorum in scholis et eorum, qui profundiori studio Juris Canonici incumbunt opus suum conscribere. Cui fini ut obviaretur, **scientifice** procedendum erat, adeundo, quoad ejus fieri potuit, ipsos fontes et auctores in quavis materia magis primarios, indicando ad calcem loca, ubi eorum textus, quos auctor ipse omnes inspexit, inveniuntur, una cum animadversionibus criticis utilitati magistrorum potissimum accommodatis. Quodsi nonnunquam ad ipsos fontes accedere non licuit, * hoc notavimus, ut sciat criticus lector nos e secunda manu eos citasse. Textus, quos refert Migne in Cursu notissimo Patrologiae assidue ad calcem adjecimus, quia haec collectio communiter prae aliis magis praesto est; ubi vero textus ibidem exhibitus minus criticus videbatur, alium magis criticum, si dabatur et ubi opus erat, simul indicavimus. Loca citata ad calcem adjicere aequum visum est, cum, ut fontes ipsi magis obvii essent iis, pro quibus hoc opus destinatur, tum, ne quid sine auctoritate assertum videretur. Praecipue in Tractatu de Fontibus Juris Canonici haec via, etsi laboribus plena, non sine magna utilitate tenenda videbatur.

Practice etiam proceditur, non tantum doctrinam textus clare et succincte propositam apprime distinguendo a notis eruditionis ad calcem adjectis, sed etiam afferendo, ubi occasio offerebatur, exempla practica et notas praxi auditorum accommodatas.

Expositionem Juris publici ecclesiastici huic Introductioni inserere non censuimus, nisi quatenus materia summariam ejus tractationem postulabat; uberiorem enim expositionem, fini nostro congruentem, ad speciales Tractatus remittendam esse duximus.

Restat denique, ut laborioso huic operi, quod in servitium Sanctae Ecclesiae suscepimus, benedictionem divini ejus Sponsi

adprecemur, ut Ipso inspirante ingerat omnibus eo utentibus amorem et reverentiam erga Sanctam Dei Ecclesiam, quam „Christus dilexit ... et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret ... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam ... sed ut sit sancta et immaculata." (Eph. V. 25—27).

Auctor.

Wittemii. d. 11 Febr. 1924. in Festo Apparitionis Virginis Immaculatae.

Introductio in Jus Canonicum

Tractatus I
De Notionibus Generalibus Juris Canonici

Caput I
De Natura Juris in genere

1. Notio Juris. De origine VOCIS *Juris* disputant doctores. Alii eam ut primigeniam accipiunt[1], alii ut derivatam. Ex hisce plures, praesertim etymologi eam a verbo *jussum* sive *jubeo* derivant[2], alii vero, uti antiquiores theologi cum S. Isidoro[3] a verbo *justum*, etsi haec derivatio forte non primaria dici debeat[4].

Quod ad REM attinet diversimode vox *Juris* sumitur[5], sive pro *facultate morali* aliquid agendi, exigendi, possidendi aut omittendi v. g. jus percipiendi reditus; sive pro *lege* hanc facultatem

[1] Ita SCHMALZGRUEBER S. J. *Jus ecclesiasticum universum.* I. Dissert. proöem. § 1. n. 2; CAROL. LOMBARDI. *Juris Canonici privati Institutiones*[2]. (Romae 1901) I. p. 10; KRIEG in *Literarische Rundschau.* 1887. p. 221; HUGO LAEMMER. *Institutionen des Kathol. Kirchenrechts*[2]. (Freiburg 1892) p. 1. not. 2; FOURNERET in VACANT-MANGENOT. *Dictionnaire de Théologie Catholique* (Paris 1903, 09) in v. droit.

[2] Cfr. FACCIOLATI-FORCELLINI. *Totius Latinitatis Lexicon.* in v. *Jus.*

[3] S. ISIDORUS. *Etymologia.* L. V. c. 3. (MIGNE. P. L. T. 82. col. 199) C. 2. D. I; S. THOMAS II. II. Q. 57. a. 1: „Sed contra est" et ad 1; ULPIANUS in fr. 1. pr. D. *De justitia et jure.* I. 1: „Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat. Est autem a justitia appellatum . . ."; REIFFENSTUEL O. Min. *Jus Canonicum universum.* I. Proöem. § 1 n. 2. (sed vide ibid. n. 4).

[4] Plura vide apud SUAREZ. *De Legibus.* L. I. c. 2; SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 1; B. DUBALLET. *Cours complet de Droit canonique.* (Paris 1896) I. n. 2 et 3. Altiorem tamen originem huic voci communiter assignant philologi hodierni; sc. aut radicem sanscritam *yu*, quae ligamen indicat, ex qua forma antiqua latina *jous* (cfr. jungo, jugum, ζυγόν); vide ALOIS WALDEN. *Lateinisches Etymologisches Wörterbuch.*[2] (Heidelberg 1910); PAULY-WISSOWA. *Real-Encyclopädie der classischen Altertums-Wissenschaft.* (Stuttgart 1894 sqq.), ambo sub v. *jus*; aut assignant formam indogermanicam *yos* vel *yaos*, quae purum, sanctum indigitat; vide THEODOR MOMMSEN. *Römisches Staatsrecht.* (Leipzig 1887) III. A. p. 310. not. 1, post philologum J. SCHMIDT ibid. cit, at WALDEN. l. c. hoc minus probabile censet. Cfr. adhuc PHILIPP. MAROTO. C. M. F. *Institutiones Juris Canonici*[2]. (Romae 1919) I. n. 1.

[5] Cfr. C. 1. et 2. D. I; fr. 11. D. *De justitia et jure.* I. 1.

condente aut obligationem imponente[1], veluti cum loquimur de ignorantia aut de dubio juris; sive pro *objecto* legis aut facultatis aut pro *objecto* virtutis *justitiae*[2] aut pro omni, quod quoquo modo *debitum* est v. g. jus suum cuique tribuere; sive demum pro *scientia* legum, cum loquimur v. g. de cursu Juris. Insuper jus dicitur pro *judicis sententia*, v. g. jus dicere, pro *loco*, in quo haec sententia pronuntiatur v. g. in jus vocare et sic porro[3].

Potissimum vero vox *Juris* sumitur in prima et secunda significatione, h. e. pro *facultate morali*, quo in casu saepe *jus subjectivum* vocatur[4] et etiam, uti hic communiter, pro *lege*, sive *complexu legum*, qua in significatione a multis *jus objectivum* vocatur[5], sed melius diceretur *causa juris subjectivi* sive *jus efficiens*[6], cum jus objectivum proprie constituant res sive actiones, circa quas facultas moralis versatur[7].

---

[1] Cfr. S. Thom. II. II. Q. 57. a. 1 ad. 2.

[2] Cfr. S. Thom. II. II. Q. 57. a. 1; Q. 58 et deinceps.

[3] Cfr. S. Thom. II. II. Q. 57. a. 1 ad. 1; Bannez O. P. *Decisiones de Jure et Justitia.* Commentarii in loc. cit. S. Thomae; Pirhing S. J. *Jus Canonicum.* I. Proöem. initio; D. Bouix. *Tractatus de Principiis Juris Canonici.* (Parisiis 1852) Pars I. Sectio I. c. 1. II; Alb. Blat O.P. *Commentarium Textus Codicis Juris Canonici.* (Romae 1921) I. p. 2—4.

[4] Cfr. Vict. Cathrein S. J. *Philosophia Moralis*[11—12] (Freiburg 1921) n. 283; Laemmer. *Instit. d. Kath. Kirchenrechts*[2]. p. 1; Rudolf (von) Scherer. *Handbuch des Kirchenrechts* (Graz 1886, 1898) I. p. 1; A. Bonal S. Sulp. *Institutiones Canonicae*[3] (Parisiis 1896) I. n. 3.

[5] Cfr. Cathrein. *Phil. Mor.*[11—12] n. 283; Scherer. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 1; Caesar Badii. *Institutiones Juris Canonici*[2]. (Florentiae 1921) I. p. 3.

[6] Cfr. Card. Cavagnis. *Institutiones juris publici ecclesiastici*[4]. (Romae 1906) I. n. 5; S. Thom. II. II. Q. 57. a. 1 ad 2; Dominic. Prümmer O. P. *Manuale Juris Ecclesiastici*[2]. (Friburgi 1920) Q. 4; Thomas Pègues. O. P. *Commentaire français littéral de la Somme Théologique* (Toulouse 1907 sqq.) XI. p. 167. Vide Franc. Xav. Wernz S. J. *Jus Decretalium*[2]. (Romae 1905 sqq.) I. n. 45; Cathrein. *Phil. Mor.*[11—12] n. 283 et Leonard Lehu O. P. *Philosophia Moralis et Socialis.* (Parisiis 1914) I. n. 357, 358 qui hoc vocant *jus praeceptivum.*

[7] Cfr. Cavagnis. *Inst. jur. publ. eccl.*[4] n. 3 et 4. Verba *droit, diritto* et similia in linguis Romanis (a verbo *dirigere, directum*) et *Recht* in linguis Germanicis (a verbo *regere, rectum*) in genere eandem significationem habent. Graeci adhibent voces δίκη, τὸ δίκαιον, pro Jure autem in sensu *legis* verbum νόμος (Cfr. passim Aristoteles. *Ethicorum.* v. g. L. V. c. 1. et c. 10.) Vide adhuc Facciolati-Forcellini. *Lexicon. in v. Jus*; Duballet. *Cours . . . de Droit can.* I. n. 2; Cathrein. *Moralphilosophie*[5]. (Freiburg 1911) I. p. 506—507; Idem. *Recht, Naturrecht und positives Recht*[2] (Freiburg 1909) p. 57—60; Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 45. not. 3.

2. Divisio Juris. I. Ratione ORIGINIS Jus dividitur in Jus *naturale* et Jus *positivum*[1]. Jus *naturale* est jus, quod a natura pendet, sive jus, quod ex Dei necessaria voluntate oritur, utpote fluens ex Ipsius creaturarumque essentia[2]. Jus *positivum* est jus, quod pendet a libera voluntate alicujus legislatoris[3]. Jus naturale est mere divinum; quia unice ex Dei necessaria voluntate oritur; jus positivum vero est *divinum* aut *humanum*, prout legislator, qui hoc condit, divinus aut humanus est[4]. Jus *positivum* ita vocatur, quia ultra id, quod jus naturale praecipit, prohibet vel permittit, aliquid *ponit*[5]. Nonnunquam tamen non aliquid novum ponit ultra jus naturale, sed hoc tantum proponit, quo in casu formaliter ad jus naturale reducitur, etsi quoad modum promulgationis ab hoc differt[6].

Jus *divino-positivum* iterum dividitur in Jus *Veteris Legis* et Jus *Novae Legis*; illud Moysi a Deo revelatum fuit, hoc per Christum et Apostolos hominibus est impositum[7].

Jus *humanum* dividitur in jus *civile*, jus *gentium* et jus *ecclesiasticum* sive *canonicum*[8].

---

[1] Cfr. C. 1. et 6. D. I; § 4. I. *De justitia et jure.* I. 1; fr. 1. § 2 et fr. 11 D. *De justitia et jure.* I. 1. Alii divisionem principalem ponunt in jus *divinum* et jus *humanum.* Jus divinum dein dividitur in jus naturale et jus divino-positivum; jus humanum ut supra in textu. Ita v. g. C. FERRARI. *Summa Institutionum canonicarum* (Ed. noviss. Parisiis-Romae 1869) I. n. 1. Divisionem vero supra a nobis datam tradunt S. THOMAS. II. II. Q. 57. a. 2; S. ALPHONSUS. *Homo apostolicus.* Tract. II. n. 1; SUAREZ. *De Leg.* L. I. c. 3. n. 7. et auctores communiter. Cfr. etiam ARISTOTELES. *Ethic.* L. V. c. 7. et commentar. S. THOM. in hunc locum. L. V. Lectio 12.

[2] C. 7. D. I; cfr. etiam pr. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2; fr. 1. § 3 et fr. 11. D. *De justitia et jure.* I. 1; S. THOM. I. II. Q. 91. a. 2; Q. 94.

[3] Cfr. REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Proöem. § 1 n. 17; LEHU. *Phil. Mor.* I. n. 297; CATHREIN. *Phil. Mor.*[11—12] n. 244.

[4] Cfr. S. THOM. II. II. Q. 57. a. 2 ad 3; S. ALPH. *H. ap.* Tr. II. n. 1; SUAREZ. *De Leg.* L. I. c. 3. n. 15.

[5] Cfr. PICHLER S. J. *Jus Canonicum.* Prolegom. n. 9; S. THOM. I. II. Q. 95. a. 2; II. II. Q. 57. a. 2.

[6] Cfr. JOS. GREDT O. S. B. *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae*[2]. (Friburgi 1912) II. n. 787; P. POTTERS. *Compendium Ethicae Generalis*[2]. (Bredae 1905) n. 400. Vide hic S. THOM. II. II. Q. 57 a. 2 ad 3.

[7] Cfr. S. THOM. I. II. Q. 91. a. 5; SUAREZ. *De Leg.* L. I. c. 3. n. 17 in fine et L. IX. et L. X.

[8] Cfr. C. 6. D. I; § 4. I. *De justitia et jure.* I. 1; fr. 1. § 2. D. *De justitia et jure.* I. 1; S. THOM. I. II. Q. 95. a. 4; S. ALPH. *H. ap.* Tr. II. n. 1; SUAREZ. *De Leg.* L. I. c. 3. n. 21.

Jus *civile* est jus, quod a Societate civili conditur[1] et vocatur jus *nationale*, si moderatur tantum relationes civium in una determinata Societate civili; vocatur jus *internationale*, si moderatur relationes plurium Societatum civilium inter se. Hoc jus internationale vocatur jus *internationale publicum*, in quantum continet jus societatis ad societatem; vocatur jus *internationale privatum*, in quantum continet jus civium diversarum societatum inter se[2].

Jus *gentium* in genere est illud jus, quo omnes gentes, saltem cultae utuntur[3]; dicitur jus gentium *primarium* in quantum continet conclusiones facili discursu ex principiis juris naturalis deductas, quae passim ab omnibus gentibus custodiuntur, v. g. quod bona immobilia sint dividenda, quod bellum justum sit licitum; dicitur jus gentium *secundarium* in quantum continet ea jura et obligationes, quae non necessario ex instinctu rationis profluunt, sed necessitate humani convictus ipso usu et moribus hominum, suadente natura, communiter inter gentes vigent v. g. quoad immunitatem legatorum, quoad leges mercatus et sic porro[4].

In priori significatione acceptum constituit illud jus, quod a jurisconsultis Romanis[5] et etiam, ut videtur, a S. Thoma[6] sub

---

[1] Cfr. C. 8. D. I; § 1. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2; fr. 6–9 et fr. 11, praesertim fr. 9. D. *De justitia* et *jure.* I. 1.

[2] Cfr. CATHREIN. *Phil. Mor.*[11–12] n. 736; GREDT. *Elementa Phil.*[2] II. n. 882–884; A. VAN GESTEL S. J. *De Justitia et lege civili*[2]. (Groningae 1896) p. 80 et p. 90–96; AERTNYS-DAMEN CSSR. *Theologia Moralis*[10]. (Buscoduci 1919–1920) I. n. 129.

[3] Cfr. C. 9. D. I. Vide hic PICHLER. *Jus Can.* Proleg. n. 17–21, qui ibid. n. 17 bene annotat „homines tripliciter considerari posse: 1) quatenus sunt creaturae rationales et sub hac ratione reguntur *jure naturali*; 2) quatenus sunt cives, seu membra alicujus communitatis particularis . . . et sub hac ratione reguntur *jure civili* . . . 3) quatenus sunt cives seu membra totius Communitatis humanae et sub hac ratione regendi sunt *jure gentium*."

[4] Cfr. REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Proöem. § 2. n. 30–35, qui tamen in allegandis exemplis ex Jure Romano quaedam ad jus gentium secundarium refert, quae proprie ad jus gentium primarium pertinent. MASCHAT Schol. piar. *Institutiones Juris Civilis et Canonici.* Instit. Jur. Civ. L. I. Tit. 2. n. 27 hanc divisionem rejicit; fatetur tamen hic facile de vocibus contendi. Vide etiam SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 4. n. 119–121.

[5] Cfr. § 1–2. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2; fr. 1. § 4 – fr. 5 et fr. 9. D. *De justitia et jure.* I. 1.

[6] Cfr. I. II. Q. 95. a. 4. c. et ad 1; II. II. Q. 57. a. 3; Commentar. in ARISTOT. *Ethic.* L. V. c. 7. Lectio 12 ad verba: „naturale quidem . . ."; PÈGUES. *Comment.* XI. p. 173–174; LEHU. *Phil. Mor.* I. n. 374; GREDT. *Elementa Phil.*[2]. II. n. 882; CATHREIN. *Phil. Mor.*[11–12]. n. 307–309 et 736.

jure gentium intelligebatur, quod proprie confunditur cum jure naturali „non secundum absolutam sui rationem, sed secundum aliquid, quod ex ipso sequitur[1]"; attamen eo sensu adhuc ad jus positivum referri potuit, in quantum etiam ab humano legislatore saepius promulgatum aut usu saltem sancitum fuit. Altero modo intellectum constituit illud jus, quod una cum jure internationali positivo a modernis vocari solet jus gentium, quod usu simul et pactis introductum est[2].

Jus *ecclesiasticum* est jus, quod a societate ecclesiastica constituitur secundum potestatem ipsi a Christo datam.

II. Ratione OBLIGATIONIS, quam producit, jus, subjective consideratum dividitur in jus *perfectum* et jus *imperfectum*[3].

Jus *perfectum* est jus, quod oritur ex titulo justitiae et producit obligationem juridicam, ita ut etiam per vim exigi possit, si non actualiter, tamen virtualiter, v. g. jus proprietarii.

Jus *imperfectum* est jus, quod oritur ex titulo caritatis aut ex convenientia tantum et producit obligationem ethicam, quae nullo modo per vim exigi potest, v. g. jus ad eleemosynam.

Ex titulo justitiae invocamus quod nostrum est; ex titulo caritatis quod alienum est. In priori casu habetur jus exigendi et obligatio reddendi, in altero casu tantum jus petendi et obligatio ethica, non juridica tradendi[4].

Hic tantum sermo erit, nisi aliud constet, de jure *perfecto* et quidem de jure *intrinsece* perfecto. *Extrinsece* enim hoc jus

---

[1] S. THOM. II. II. Q. 57. a. 3. c.

[2] Cfr. GROTIUS. *De Jure Belli ac Pacis.* (Amstelaedami 1720) n. 17; THOM. BOUQUILLON. *Theologia Moralis Fundamentalis*[3]. (Brugis 1903) n. 81; CATHREIN. *Phil. Mor.*[11—12] n. 736; GREDT. *Elementa Phil.*[2] II. n. 882—884. Patet ex diverso modo definiendi jus gentium diversam quoque dari solutionem quaestionis, num jus gentium proprie pertineat ad jus naturale (ita v. g. FERRARI. *Summa Instit. can.* I. n. 2) an vero ad jus positivum (ita v. g. SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 4. n. 116 et 126; SUAREZ. *De Leg.* L. II. c. 17—20, praecipue c. 19. n. 3; PICHLER. *Jus Can.* Proleg. n. 20; MASCHAT. *Instit. Jur. civ.* L. I. Tit. 2. n. 24) an potius sit aliquid mixtum ex duobus, uti merito sentiunt REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Proöem. § 2. n. 34; BELLARMINUS. *De Controversiis christianae fidei* (Venetiis 1603) T. II. Controv. 2. De menbris Ecclesiae. L. I. c. 29 in med. LOMBARDI. *Jur. Can. priv. Instit.*[2] I. p. 20; DUBALLET. *Cours . . . de Droit can.* I. n. 28.

[3] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] n. 11, 12; FELIX M. CAPELLO. *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici* (Taurini 1913) p. 3. n. 2; BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 3. not. 2.

[4] Cfr. hic. S. THOM. II. II. Q. 31. a. 3. ad 3; LEHU. *Phil. Mor.* I. n. 359. n. 1.

aliquando per accidens imperfectum esse potest v. g. cum documentum, quod constituit unicam probationem alicujus juris, amissum est[1]. Talis autem imperfectio non afficit ipsum jus, sed tantum ejus probationem, quare, cum sit accidentalis, ab ea praescindemus[2].

Alias divisiones juris v. g. in jus *publicum* et *privatum*, jus *scriptum* et *non scriptum* vide infra n. 7 sub divisione juris canonici.

3. Origo Juris. Circa originem juris plures dantur errores, de quibus ex professo tractant Ethici[3]; sufficit hic praecipuas scholas enumerasse, ex quibus varii illi errores procedunt, quae sunt:

1. *Schola materialistica*[4], quae docet *vim physicam* esse fontem omnium jurium. Ita v. g. sentiunt, omissis antiquioribus, quorum jam meminit Plato[5], hodierni Anarchistae, quorum proprie parens

---

[1] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] n. 10; BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 3. not. 2.

[2] Cfr. hic. BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. 11, ubi tamen considerandum est, debitum *morale*, cui correspondet jus imperfectum et quidem, intrinsece imperfectum, ut ibid. assignat alin. 1: „Sed considerandum" vel etiam extrinsece imperfectum, ut videtur ibid. adstruere alin. 2: „In ordine vero" (cfr. etiam l. c. p. 13) non esse confundendum cum debito sive justo *morali*, de quo loquitur S. THOMAS. I. II. Q. 99. a. 5. c., quem hic allegat una cum ARISTOTELE. *Ethic.* L. V. c. 7. ibid. citato. Etenim apud S. Thomam et Aristotelem in locis citatis debitum sive justum *morale* idem est ac debitum *naturale*, sive necessario debitum, sive utiliter debitum; tantummodo haec ultima species, ibid. a. S. Thoma assignata ansam praebere potest, ast immerito, confundendi hoc debitum morale cum debito ethico, sive morali. de quo nos in textu loquimur. Vide melius PÊGUES. *Comment.* IX. p. 200—201. ARISTOTELES insuper in l. c. (*Ethic.* L. V. c. 7) non adhibet vocem ἠθικὸν sive ἠθικη i. e. morale, ut in Ethic. L. VIII. c. 13. sed Φυσικόν i. e. naturale. Debitum *morale* vero, de quo loquitur S. THOM. II. II. Q. 80. a. un. c. in fine post ARISTOTELEM. *Ethic.* L. VIII. c. 13. med. confunditur cum debito ethico sive morali, cui correspondet jus imperfectum, sed tantum in ultimis divisionibus ibid. a. S. Thom. designatis.

[3] Cfr. THEODOR MEYER S. J. *Institutiones Juris Naturalis.* (Friburgi. P. I. 1885; Ed.[2] 1906; P. II. 1900) I.[2] n. 144—189; n. 393—398; n. 514—568; CATHREIN. *Phil. Mor.*[11—12] n. 295 coll. c. n. 3; n. 16—27; n. 126—134. Item in *Moralphilosophie*[5] I. p. 552—544 necnon in opere: *Recht, Naturrecht u. positives Recht*[2] p. 119—180 et p. 277 — finem. Compendiose etiam POTTERS. *Compend. Ethic. Gener.*[2] n. 460 coll. c. n. 148. Vide etiam FERDINAND WALTER. *Naturrecht und Politik*[2] (Bonn 1871) n. 8—14; n. 16—21; n. 50—54; n. 537—finem. Breviter etiam AICHNER-FRIEDLE. *Compendium Juris ecclesiastici*[11] (Brixinae 1911) p. 3—5.

[4] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 515—519.

[5] Cfr. PLATO. Πολιτεία (*Civitas* sive *De Republica*) L. I (c. 12?) (Ed. Firmin-Didot. Paris 1877) n. 338, c. ubi sophista THRASYMACHUS dicit:

fuit PROUDHON († 1865)[1], etsi hic non doceat ad propositum assequendum violentiam esse adhibendam. Huc etiam referri possunt ii, qui, quamvis doctrinam eandem non directe tradant, tamen ex falsis principiis practice ad similes conclusiones perveniunt, v. g. BARUCH (BENEDICTUS) SPINOZA († 1677)[2] ceteroquin pantheista, et FRIEDRICH NIETZSCHE († 1900)[3]. Contra scholam materialisticam statuuntur propositiones 58—61 damnatae in Syllabo Pii IX 8 Decemb. 1864; nempe Prop. 58: „Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis"; Prop. 59: „Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane et omnia humana facta juris vim habent"; Prop. 60: „Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa"; Prop. 61: „Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert[4]."

2. *Schola positivistica-juridica*[5], quae cum THOMAS HOBBES

„Φημὶ γαρ ἐγω εἶναι το δίκαιον οὐκ ἀλλο τι, 'ή τό τῦυ κρειττονος ξυμφέρον" affirmo equidem, justum nihil aliud esse, nisi quod potentiori conducit. Cfr. etiam PLATO. *Gorgias.* C. 38. in med. (Ed. cit. a. 1873) n. 482 e. sqq. ubi CALLICLES sophista loquens inducitur.

[1] PIERRE JOSEPH PROUDHON. *Système des contradictions économiques* (Paris 1846) Cfr. v. g. p. 327 et 519—finem. Cfr. HEINRICH PESCH. *Lehrbuch der Nationalökonomie.* (Freiburg 1905—1913) I. p. 344—348. De anarchistis BAKUNIN et NETSCHAJEW, qui fuit promotor „Pandestructionis" cfr. ibid. PESCH p. 349—351.

[2] BARUCH (BENEDICTUS) SPINOZA in opere *Tractatus theologico-politicus* (Hamburg-ita inscribitur, sed de facto apparuit Amstelodami 1670). Cap. 16 fere initio dicit: „hinc sequitur ... jus uniuscujusque eo usque se extendere, quo usque ejus determinata potentia se extendit ... Jus itaque naturale uniuscujusque hominis non sana ratione, sed cupiditate et potentia determinatur." (In versione Gallica Emile Saisset. Paris 1843. T. I. p. 269—270.) Cfr. CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 526 not. 4; MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 174 et n. 518; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2] n. 545 et not. 8.

[3] Cfr. FRIEDRICH NIETZSCHE praesertim in opere: *Der Wille zur Macht* (scriptum circa a. 1888; editum ut opus posthumum in variis editionibus praesertim Leipzig 1910—12) Vide ibid. Lib. IV. ab initio usque ad finem Partis I. ubi n. 861 dicit: „Eine Kriegserklärung der höheren Menschen an die Masse ist nötig" et in fine n. 1001: „Nicht ‚Menschheit', sondern Übermensch ist das Ziel."

[4] Cfr. PHILIPP. SCHNEIDER. *Fontes Juris ecclesiastici novissimi.* (Ratisbonae 1895) p. 48—49.

[5] Cfr. CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 525—531. Item. *Phil. Mor.*[11—12] n. 295.

(† 1670)[1] et AUGUST COMTE († 1857)[2] docet, *legem positivam humanam* esse fontem omnium jurium. Huic scholae affinis est cum *Utilitarismus*[3], docens cum HERBERT SPENCER († 1903)[4] utilitatem successivae hominis et societatis evolutioni accommodatam esse fontem jurium, tum *Theoria contractus socialis*[5], secundum quam duce ROUSSEAU († 1778)[6] pactum communi consensu populi saltem tacite[7] initum est fons juris. Huc referuntur propositiones 56 et 57, damnatae in Syllabo Pii IX: Prop. 56: „Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est,

---

[1] Cfr. THOMAS HOBBES passim in opere *Elementa philosophica de cive* (1643) v. g. c. 12 § 1 (Ed. Lausanne 1760. p. 274—276) ubi dicit: „Regulas *boni* et *mali*, *justi* et *injusti* . . . esse leges civiles, ideoque quod legislator praeceperit, id pro *bono*, quod vetuerit, id pro *malo* habendum esse . . . Ante imperia *justum* et *injustum* non exstitere . . . actioque omnis sua natura adiaphora est; quod *justa* vel *injusta* sit, a jure imperantis provenit." Cfr. etiam passim ejus opus: *Leviathan or the matter, form and authority of Government* (1651) Vide hic MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 144; n. 394; n. 517; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 526. Item, *Phil. Mor.*[11—12] n. 295. coll. c. n. 16 necnon in opere: *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 121—124; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 538.

[2] Cfr. AUGUSTE COMTE passim in opere *Système de politique positive* (Paris 1851—1854). Cfr. CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 527. coll. c. p. 162 ubi de positivismo morali COMTE; item apud MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 146. coll. c. n. 142 not. 1.

[3] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 146; n. 163—167.

[4] Cfr. HERBERT SPENCER. *The data of Ethics* (London 1879). Doctrina hujus libri postea ampliata est in alio opere ejusdem auctoris, quod vocatur: *Principles of Ethics.* (London 1891—1893). Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 146; n. 166; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 527. coll. c. p. 163 ubi de positivismo morali SPENCER et p. 292—296.

[5] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 393; 530—536; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 529; II. p. 463—464, 473—477. Item *Phil. Mor.*[11—12]. n. 295 et in opere: *Recht, Naturrecht u. posit. Recht.*[2] p. 124 et p. 141; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2] n. 50—52.

[6] Cfr. JEAN JACQUES ROUSSEAU. *Du Contract social ou Principes du Droit Politique* (1762. Neuchatel 1775) v. g. Lib. I. c. 4 ubi dicit: „Puisqu' aucun homme n'a une autorité naturelle sur son semblable, et puisque la force ne produit aucun droit, restent donc les conventions pour base de toute autorité légitime parmi les hommes." Cfr. etiam ibid. c. 6: „Chacun de nous met en commun sa personne et toute sa puissance sous la suprême direction de la volonté générale et nous recevons en corps chaque membre comme partie indivisible de tout." Vide etiam Lib. IV. c. 8 ubi poenam mortis proclamat pro iis, qui quaedam dogmata religiosa (v. g. existentiam divinitatis, sanctitatem contractus socialis (!) non admittunt. Huc etiam refer ejus libellum famosum: *Discours sur l'origine et les fondemens de l'inégalité parmi les hommes* (1753 Amsterdam. 1775). MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 395; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] II. p. 474—477; *Phil. Mor.*[11—12] n. 295; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2] n. 52; 115.

[7] Cfr. ROUSSEAU. *Du Contract social.* L. I. c. 6.

ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant"; Prop. 57: „Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare". Cfr. etiam Prop. 59 jam citatam[1].

3. *Schola rationalistica*[2], quae cum IMMANUEL KANT († 1804)[3] ut de aliis taceam, ordinem juridicum ab ordine morali plane separans[4] statuit, *necessitatem harmonice componendi libertatem externam unius per se illimitatam cum libertate alterius* esse fontem jurium[5].

4. *Schola pantheistica*[6], quae cum SCHELLING († 1854)[7] et HEGEL († 1831)[8] docet, originem juris esse quaerendam in *voluntate universali divina in Statu politico quasi incarnata*[9]. Est

---

[1] Cfr. SCHNEIDER. *Fontes jur. eccl. novissimi.* p. 48.

[2] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 514; n. 519—536; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 580—585. coll. c. p. 235—252; *Phil. Mor.*[11—12] n. 20—22. coll. c. n. 3; WALTER. *Naturrecht und Politik*[2]. n. 549—552.

[3] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 170; n. 514; n. 519—530; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 580—581; *Phil. Mor.*[11—12] n. 299—304. coll. c. n. 20; *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 304—306; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 549.

[4] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 519; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 580; *Phil. Mor.*[11—12] n. 299—304; *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 304—314.

[5] Cfr. KANT. *Die Metaphysik der Sitten.* I. Teil. Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre. (Ed. Königsberg 1798.) Vide v. g. ibid. Einleitung in die Rechtslehre. p. XXXIII § B in fine: „Das Recht ist also der Inbegriff der Bedingungen, unter denen die Willkür des einen mit der Willkür des andern nach einem allgemeinen Gesetze der Freiheit zusammen vereinigt werden kann." Cfr. etiam ibid. § C initio. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 519—522; n. 581—582.

[6] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 514; n. 536—545; CATHREIN. *Moralphilosophie.*[5] I. p. 585—588. De Pantheismo SPINOZAE cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 174 et n. 158; supra n. 3. p. 7. not 2.

[7] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 174 et n. 537; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 585; FRIEDRICH JULIUS STAHL. *Die Philosophie des Rechts.* Band I. Geschichte der Rechtsphilosophie (Heidelberg 1856) p. 377—414.

[8] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur. I.*[2] n. 174 et n. 538—539; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 585—586; STAHL. *Die Phil. des Rechts.* I. Gesch. der Rechtsphil. p. 414—491; cfr. hic WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 552—557, ubi revera nimis benigne de theoriis SCHELLING et HEGEL loquitur.

[9] Cfr. SCHELLING, praesertim in opere: *System des transcendentalen Idealismus* (1880) et in *Vorlesungen über die Methode des akademischen Studiums* (1803). (Sämtliche Werke. Stuttgart und Augsburg. 1856 sq.) I. Abteilung. Band V, ubi in specie in Praelectione decima (Zehnte Vorlesung: *Über das Studium der Historie und der Jurisprudenz.* p. 316) dicit: „Alle wahre Konstruktion (des Staates) ist ihrer Natur nach absolut . . .

Absolutismus, sive Monismus Status, contra quam theoriam dirigitur damnatio Prop. 39 in Syllabo Pii IX: „Reipublicae Status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus[1]."

5. *Schola positivistica-historica*[2], quae rejiciens jus naturale tamquam jus constitutum, omne jus *positivum* esse dicit et originem ejus quaerit in *lege positiva moribus populi historice efformatis accommodata*. Hujus theoriae fautores praecipui fuerunt DE SAVIGNY († 1861)[3] et STAHL († 1861)[4] eique inter ipsos catholicos

---

Sie ist z. B. nicht Konstruktion des Staates als solchen, sondern des absoluten Organismus in der Form des Staates . . wenn er nur vorerst als das unmittelbare und sichtbare Bild des absoluten Lebens dargestellt ist, wird er auch von selbst alle Zwecke erfüllen." Item HEGEL praecipue in opere: *Encyclopädie der philosophischen Wissenschaften* (Heidelberg 1817) et in *Grundlinien der Philosophie des Rechts oder Naturrecht und Staatswissenschaft* (Berlin 1821) ubi § 270 dicit: „Der Staat ist göttlicher Wille als gegenwärtiger, sich zur wirklichen Gestalt und Organisation einer Welt entfaltender Geist." Cfr. hic MEYER. *Instit. Jur. Natur. I.*[2] n. 537 passim in notis et n. 538—539 item in notis; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] II. p. 519—520.

[1] Cfr. SCHNEIDER. *Fontes Jur. eccl. novissimi.* p. 46.

[2] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 514 et n. 549—568; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 531—540; *Phil. Mor.*[11—12] n. 295; *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 145—164; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 557—559.

[3] Cfr. FRIEDRICH KARL VON SAVIGNY (apprime distinguend. ab ejus filio catholico KARL FRIEDRICH † 1875) praecipue in opere: „*Vom Berufe unserer Zeit für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft* (1814) ubi (Ed. 3. Heidelberg 1840) p. 8 tamquam fundamentum juris adnotat: „Die gemeinsame Überzeugung des Volkes, das gleiche Gefühl innerer Notwendigkeit, welches allen Gedanken an zufällige und willkürliche Entstehung ausschließt." Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 552; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 532; *Phil Mor.*[11—12] n. 295; *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 147; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 557.

[4] Cfr. FRIEDRICH JULIUS (VON) STAHL in opere: *Die Philosophie des Rechts.* Bd. II. Rechts- und Staatslehre. ubi Lib. II. § 12. p. 221 dicit: „So wurzelt die menschliche Ordnung, welche das Recht ist, in der göttlichen; aber sie ist selbständig in sich, und in dieser ihrer Selbständigkeit besteht die *Positivität des Rechts.* Das Recht ist . . . *positiv seiner Geltung nach.* Der letzte Grund seines bindenden Ansehens ist Gottes Weltordnung, aber der Sitz desselben ist doch die menschlich festgesetzte Ordnung, das bestehende Recht. Gemäß dieser Selbständigkeit kann das Recht geradezu in Widerstreit treten gegen Gottes Weltordnung, der es dienen soll . . . und auch in dieser gottwidrigen Beschaffenheit behält das Recht sein bindendes Ansehen. Hierin hat der Charakter der *Positivität*, der dem Rechte zukommt, seine äußerste Bekundung. *Recht* und *positives Recht* sind darum gleichbedeutende Begriffe. Es gibt kein anderes Recht als das positive." Cfr. etiam ibid. p. 218—223; MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 553; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 534; *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 151—155; WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 558.

quidam etiam plus minusve sese addixerunt, uti WALTER († 1879)[1] et SCHERER († 1919)[2].

In omnibus hisce systematibus *falsa* aut *insufficiens* juris origo designatur; origo enim suprema juris, uti merito probant scholastici, *supra-humana* est, nempe *ipse Deus*, qui solus juri, ab humano fonte proxime derivato, v. g. pacto, lege positiva, consuetudine, cum normam supremam moralitatis, tum intrinsecam inviolabilitatem tribuere potest[3]. Sequitur hoc ex necessaria relatione hominis ad Deum, qui est principium et finis omnium actionum humanarum[4].

[1] Cfr. WALTER passim in opere: *Naturrecht u. Politik*[2]. v. g. n. 17 (sed vide ibid. n. 18. not. 2; n. 30; n. 32; n. 60.) et partim n. 563; MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 555 et not. 1.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. des Kirchenr.* I. p. 2, ubi dicit: „Dem Begriffe nach stehen Recht und Ethos außer allem Verhältnisse"; et p. 9: „Jedes Recht ist eine positive Norm . . . das positive Recht (ließ nie) die Einrede der Immoralität seiner Satzungen . . . gelten." Item ibid. not. 2 et 4; sed vide ibid. p. 1. II; p. 2. IV in fine. CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 546 not. 1.

[3] Cfr. S. AUGUSTINUS. *De libero arbitrio.* L. I. c. 6. (MIGNE. P. L. T. 32. col. 1229) ubi dicit: „te videre arbitror in illa temporali (lege) nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines derivarint." S. THOM. I. II. Q. 95. a. 2. c. ubi de lege positiva humana dicit: „Omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturae derivatur." S. ALPH. *Dichiarazione del Sistema* (1774) in Apologie e Confutazioni (Monza 1831—32) II. n. 18. p. 25, ubi dicit: „La sola volontà di Dio, ch' è santissima, sapientissima e rettissima, è l'unica sorgente di ogni diritto, di ogni ordine, di ogni legge"; LEO XIII. ep. encycl. „*Diuturnum.*" 29 Jun. 1881; Acta Leonis XIII. Vol. II. p. 269 sq. Item, litt. encycl. „*Libertas*", 20 Jun. 1888; Acta Leonis XIII. Vol. VIII. p. 212 sq.; vide ibid. p. 219, ubi dicitur: „Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat." MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 497—506; CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 572—573. coll. c. p. 461; ubi in nota 1 refert verbum HERACLITI (apud JOANNEM STOBAEUM in opere: *Anthologion* (*Florilegium*) sive *Sermones.* III. 84; in Ed. Tiguri 1543 p. 57.): Τρέφονται γὰρ πάντες οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου; foventur enim omnes humanae leges ab una divina; cfr. etiam ibid. p. 507 not 1. encomia de doctrina juris Aristotelis in virtute justitiae fundata; fr. 2. D. *De legibus senatusque consultis et longa consuetudine.* l. 3: „ πᾶσ ἐστὶ νόμοσ εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεου omnis lex inventum et munus Dei est." Huc etiam refer: CICERO. *De legibus.* L. II. n. 4: „Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei . . . erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans; quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est; orta autem simul est cum mente divina."

[4] Cfr. APOC. I. 8: „Ego sum et principium et finis, dicit Dominus Deus." Item ibid. I. 17; XXI. 6: „Ego sum alpha et omega, initium et

Scholion. De Justo et Aequo

4. Justum et aequum. Antiquitus, nomen *juris* nonnunquam latiori sensu sumebatur, nempe pro eo, quod *aequum et bonum* est[1]; attamen non semper voces *justi* et *aequi* inter se confunduntur[2]. Etenim id quod simpliciter justum est, v. g. exactio debiti a paupere indigente visis circumstantiis minus aequum esse potest[3]. Inde apud Romanos commemorantur iniquitates juris, quas corrigere studebat Praetor, tuendo aequitatem[4]; hinc effatum antiquorum: *summum jus, summa injuria*[5], quo in casu duritia legis corrigi debet per prudentem moderationem sive aequitatem[6]. Quocirca id, quod est secundum legem justam, etsi injustum vocari non potest-quia quidquid est secundum legem justam, jus est et justum est-tamen iniquum (i. e. non aequum) esse potest[7].

Quin imo leges humanae aliquando adversari possunt legi divinae, sive naturali, sive positivae[8] aut id, quod est secundum legem

---

finis." XXII. 13. WALTER. *Naturrecht u. Politik*[2]. n. 32 et n. 60; LAEMMER. *Instit. d. Kathol. Kirchr.*[2] p. 3 et not. 2.

[1] Cfr. pr.: „jus est ars boni et aequi" et fr. 1. § 1, fr. 11. D. *De justitia et jure.* I. 1.

[2] Cfr. ARISTOT. *Ethic.* L. V. c. 10 initio. coll. cum c. 1. ibid. in medio.

[3] Cfr. CATHREIN. *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 318—319.

[4] Cfr. fr. 7. § 1. D. *De justitia et jure.* I. 1; „Jus praetorium est, quod praetores introduxerunt adjuvandi vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia. „MAXIMUS MASSIMI. *Introductio in Gai et Justiniani Institutiones.* (Romae 1910) p. 54; ARISTOT. *Ethic.* L. V. c. 10 in medio, ubi aequum vocat: „ἐπανόρθωμα νόμου" (correctio legis).

[5] Cfr. CICERO. *De Officiis.* L. I. c. 10. n. 33; ARISTOT. *Ethic.* L. V. c. 10 in fine; SCHERER. *Hdb. d. Kirchenr.* I. p. 16 not. 18.

[6] Cfr. ARISTOT. *Ethic.* L. V. c. 10. Vide etiam c. 13. X. *De officio et potestate judicis delegati.* I. 29 et c. 11. X. *De transactionibus.* I. 36: „poteris . . . ad componendum interponere partes tuas, et interdum aliquid severitati detrahere." fr. 90. D. *De diversis regulis juris antiqui.* L. 17, ubi PAULUS jurisconsultus dicit: „In omnibus quidem, maxime tamen in jure, aequitas spectanda sit." Card. JOSEPH D' ANNIBALE. *Summula Theologiae Moralis*[5] (Romae 1908) I. n. 184. 3. not. 22.

[7] Cfr. fr. 144. D. *De diversis regulis juris antiqui.* L. 17: „non omne, quod licet, honestum est"; CATHREIN. *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 318—319.

[8] Cfr. MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] n. 297, ubi remittit ad varios auctores supra jam n. 3. commemoratos, qui hanc repugnantiam defendunt v. g. HOBBES, SPINOZA, HEGEL et etiam MACHIAVELLI († 1527) in libro notissimo: *Il Principe* (1513—14; Romae 1532) cujus doctrinam ipse MACHIAVELLI passim admittere videtur.

per se justam visis circumstantiis opponi potest juri naturali[1]. Patet hoc in casu leges illas, aut applicationem legis non jam vero sensu justas vocari posse[2], etsi a juristis modernis nonnunquam hoc nomine insigniantur; etenim hi simpliciter justum vocant, quidquid est objectum alicujus legis, etiamsi hoc discrepet ab ordine morali[3]. Verus ordo juridicus autem plane convenire debet cum ordine morali[4] et quidquid ab hoc ordine morali deflectit nonnisi *falso* aut *putative* tantum justum vocari potest[5].

Caput II

De Natura Juris Canonici

5. Notio. Cum nomen Juris hic potissimum sumatur pro *lege* uti supra (n. 1) vidimus, nomine *Juris canonici sive ecclesiastici* hic venit complexus legum sive a Deo, sive a competente

---

[1] Est casus epikeiae (ab ἐπιείκεια i. e. aequitas) de quo cfr. S. THOM. I. II. Q. 96. a. 6; II. II. Q. 120. a. 1 et 2. Ceterum de variis casibus epikeiae cfr. moralistas v. g. S. ALPH. *Theologia Moralis.* L. I. n. 201; SUAREZ. *De Leg.* L. VI. c. 6, 7 et 8; AERTNYS-DAMEN. *Theol. Mor.*[10] I. n. 175. Vide etiam WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 48, ubi merito adversatur SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 16 et p. 176.

[2] Cfr. dict. Gratiani ad. C. 2. D. VIII; summarium ad C. 1. D. IX; S. AUGUST. *De Civitate Dei.* L. XIX. c. 21. (MIGNE. P. L. T. 41. col. 648): „quod autem fit injuste, nec jure fieri potest. Non enim jura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta; „S. THOM. I. II. Q. 95. a. 2. c; II. II. Q. 57. a. 2. ad 2; II. II. Q. 60. a. 5. ad 1: „si scriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi . . . et ideo nec tales scripturae leges dicuntur, sed potius legis corruptiones." Cfr. CATHREIN. *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 205 not. 2 ad S. THOM. I. II. Q. 96. a. 4. c.

[3] Cfr. supra n. 3. et in specie p. 10. not. 4. verba STAHL et partim etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 2. IV. et not. 4 ubi effatum, „Jurista — nequista," „Juristen — slechte Christen"; MEYER. *Instit. Jur. Natur.* I.[2] p. 254 not. 2. et p. 387 not. 1. Cfr. e contra Jus Romanum, quod saepe in tali casu ad jus praetorium recurrebat; fr. 8. D. *De capite minutis.* IV. 5: „civilis ratio naturalia jura corrumpere non potest." fr. 2. § 1. D. *De usufructu earum rerum, quae usu consumuntur vel minuuntur.* VII. 5. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 10.

[4] Cfr. CATHREIN. *Moralphilosophie*[5] I. p. 573—580; *Phil. Mor.*[11—12] n. 299—304; LEHU. *Phil. Mor.* I. n. 375.

[5] Exinde nonnulli hoc jus simpliciter *legale* vocant, sed non *legitimum* v. g. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] n. 7; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n.10.

auctoritate ecclesiastica datarum, quibus Ecclesia[1] catholica constituitur ac regitur[2].

Auctor enim Ecclesiae non tantum a Deo constitutus est Redemptor, cui fidant homines necesse est, sed etiam Legislator, cui obediant[3] et Ipse — uti latius probant Dogmatici[4] — ad conservandam et propagandam religionem a se conditam, Ecclesiam suam instituit, tamquam verum suum regnum spirituale[5], omnibus notis divinae suae originis instructum et omnibus hominibus sive in re sive in voto introeundum. Ecclesia haec, uti pariter probant Dogmatici, necnon auctores Institutionum Juris publici ecclesiastici[6] ab

---

[1] *Ecclesia* a graeca voce ἐκκλησία jam in Veteri Testamento occurrit in Versione Septuaginta et idem significat ac συναγωγή; in eadem significatione etiam occurrit in Novo Testamento, ubi adhibetur ad significandam societatem religiosam sive universam, uti bis a Christo ipso apud Matth. XVI. 18. et XVIII. 17, ulterius in Act. Ap. V. 11; I. Cor. XV. 9; Gal. I. 13; Ephes. V. 23—32, sive particularem, uti v. g. in Act. Ap. XIV. 22; XV. 41; I. Cor. IV. 17. Cfr. hic *Catechismus Romanus.* Pars. I. c. 10; Pierre Batiffol. *L'Eglise naissante et le Catholicisme.* (Paris 1909) passim et in specie p. 103—104; André Michiels. *L'origine de l'Episcopat.* (Louvain 1900) p. 43—45; Paul (von) Schanz. *Apologie des Christentums.* (Freiburg 1895—98) III. p. 53—85; Dublanchy in *Dict. de Théol. Cath.* in v. *Église.* A voce *Ecclesia* derivata sunt vocabula: *église, iglesia, chiesa* et similia in linguis Romanis. Populi Germanici et Slavici suas voces pro simili societate religiosa, uti *Kirche, church, kerk, cerkiew* derivant a graeca voce κυριακὴ i. e. οἰκία (domus Domini). Cfr. Grimm. *Deutsches Wörterbuch* in verbo: *Kirche*; Mansi. *Sacrorum Conciliorum . . . Collectio.* T. II. col. 517—18, et col. 541—42. (Can. 15. Conc. Ancyrae. a. 314. et Can. 13. Conc. Neocaesareae. a. 314). Hefele-Leclercq. *Histoire des Conciles.* I. l. p. 316—317. et p. 333. (Paris 1907 sqq.). Walafridus Strabo. *De ecclesiasticarum rerum exordiis et incrementis.* c. 7. (Migne, P. L. T. 114. col. 926—927.) Alois. Knöpfler. *Lehrbuch der Kirchengeschichte*[6] (Freiburg 1920) § 1.; *The Catholic Encyclopedia.* (New-York 1907. sqq.) in v. *Church.*

[2] Cfr. Laemmer. *Instit. d. Kathol. Kirchr.*[2] p. 9; Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 46; Badii. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 6.

[3] Conc. Trident. Sess. VI. *De Justificatione.* can. 21; Conc. Vatic. Const; *Pastor aeternus.* initio.

[4] Cfr. Bellarminus. *De Controversiis christianae fidei* (Venetiis 1603) passim; Card. Ludovicus Billot S. J. *Tractatus de Ecclesia Christi*[4] (Romae 1921); S. Alphonsus *Opera dogmatica* (Versio Latina. A. Walter CSSR. Romae. 1903) I. p. 275 sqq.) Tr. III De fidei veritate Pars. 3. c. 5) Anton Straub S. J. *De Ecclesia Christi.* (Oeniponte 1912); J. V. De Groot O. P. *Summa apologetica de Ecclesia Catholica*[3] (Ratisbonae 1906); G. van Noort. *Tractatus de Ecclesia Christi*[3] (Amstelodami 1913).

[5] Cfr. Georg Phillips. *Kirchenrecht.* (Regensburg 1845 sq.) I. § 2. § 9; Bernhard Bartmann. *Das Himmelreich und sein König.* (Paderborn 1904) passim v. g. p. 43 sq.; A. Mertens CSSR. *De Hierarchie in de eerste eeuw des Christendoms* (Amsterdam 1908) p. 1.

[6] Cfr. Cavagnis. *Instit. Jur. Publ. Eccl.*[4]; Card. Tarquini S. J. *Juris ecclesiastici publici Institutiones* (Romae 1860 et saepius; [8] 1882); Felix M. Capello. *Institutiones Juris publici ecclesiastici.* (Taurini 1913.)

Auctore suo instituta est in modum verae et perfectae societatis cum plenissima potestate regendi suos subditos in ordine ad finem suum supernaturalem, qua in potestate exercenda omnino independens est a societate civili, quam in spiritualibus directe regit cuique in temporalibus indirecte superior existit.

Potestas haec gubernativa Ecclesiae communiter dividitur in potestatem *magisterii*, *ministerii* et *regiminis*, quae ultima potestas iterum subdividitur in potestatem *legiferam*, *judicialem* et *coactivam*[1]. De singulis hujus potestatis speciebus ex professo tractant Dogmatici, ad quos hic jure remittimus; attamen in quibusdam tractationibus etiam in cursu nostro speciatim de hisce agendum nobis erit.

Jamvero complexus omnium legum et ordinationum[2], quae ab hac potestate ecclesiastica procedunt constituit *jus ecclesiasticum* sive *canonicum* et canones, qui has leges continent vocantur *canones disciplinares* in oppositione ad *canones dogmaticos*, qui veritates credendas proponunt. Porro canones disciplinares pro diverso objecto circa quod versantur, distinguuntur in canones *fidei* in quantum eam promovent atque tuentur (cfr. v. g. Can. 1384—1405 de censura et prohibitione librorum; Can. 1406—1408 de professione fidei) canones *morum* (v. g. Can. 1243—1254 de temporibus sacris) canones *liturgicos* (v. g. passim Can. 1255—1306 de cultu divino, passim etiam Can. 731—1153 de ritibus Sacramentorum et sacra-

---

[1] Cfr. MATTH. XXVIII. 18—20: „Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes (en potestatem magisterii), baptizantes eos (en potestatem ministerii) . . . docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis" (en potestatem regiminis). Est continuatio triplicis officii Christi, ut Prophetae, ut Pontificis, ut Regis. Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 19. II. et not. 4; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 14—16; CONRAD MARTIN. *Omnium* (?) *Concilii Vaticani . . . documentorum collectio.* (Paderbornae 1873.) Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi. p. 35; WERNZ. *Jus Decr.*[2] II. n. 3. Cfr. etiam. FERDINAND WALTER. *Lehrbuch des Kirchenrechts.* (Ed. 14a Gerlach. Bonn 1871) n. 14. not. 5, qui tamen immerito ibid. carpit divisionem a S. Thoma assignatam (cfr. II. II. Q. 39. a 3. c) et communiter a Theologis admissam in potestatem *sacramentalem* et *jurisdictionalem* (cfr. etiam *Catechismus Romanus* Pars II, c. 7. Q. 6). Minus recte etiam PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 32 p. 272—274 de hac distinctione loquitur. Potestas sacramentalis sive ordinis continet potestatem ministerii; ad potestatem jurisdictionis autem reducuntur ét potestas magisterii ét regiminis. Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] II. n. 3, a quo paulo dissentit SCHERER. l. c. p. 20—21, qui non omnem potestatem magisterii ad potestatem jurisdictionis reducit.

[2] Nomine *ordinationum* hic veniunt non tantum leges stricte dictae, sed etiam omnes dispositiones juridicae, quae sunt ad instar legis, uti sunt praecepta, statuta, sententiae, rescripta, privilegia, dispensationes et alia hujusmodi. Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 23.

mentalium cfr. etiam Can. 2) et canones *disciplinares stricte dictos* (v. g. Can. 1552 usque ad finem de processibus, de delictis et poenis)[1].

Cum autem nonnisi una detur vera Jesu Christi Ecclesia, consequens est nonnisi unum dari jus ecclesiasticum verum et jus ceterarum religionum non esse nisi jus ecclesiasticum putativum[2].

6. Nomen. Jus, de quo agimus, vocatur:

1) Jus *sacrum*, a persona, quae illud condit, a materia de qua tractat, a fine, ad quem ordinatur.

2) Jus *pontificium*, ut distinguatur a jure imperiali sive civili et insuper, ut in eo condendo, aut proponendo aut approbando auctoritas Romani Pontificis ostendatur a quo reliqua jurisdictio ecclesiastica sive immediate sive mediate procedit[3].

3) Jus *ecclesiasticum*, quia ab auctoritate ecclesiastica procedit et de materia ecclesiastica potissimum agit[4].

4) Jus *canonicum*, quia jam ab antiquissimis temporibus leges ecclesiasticae, saltem eae, quae a Conciliis ac dein a R. R. Pontificibus editae fuerant potissimum per modum *canonum* (*Κανὼν*) proponebantur[5] in oppositione ad jus civile, quod per *leges* (*νόμος*)

[1] Cfr. Card. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Institutiones Juris publici et privati ecclesiastici*[10]. (Ed. 2. Buscoduci.) I. § 8; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 46. not. 8; JOS. LAURENTIUS S. J. *Institutiones Juris Ecclesiastici*[3] (Friburgi 1914) n. 3.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr. I.* p. 111. II. coll. c. p. 17—18 et p. 170. II; item II. p. 260. not. 12; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 9—10; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 47, qui jure annotat: „Sicut sola doctrina vera de Deo sibi optimo jure vindicat nomen theologiae (Cfr. S. AUGUST. *De civitate Dei.* L. VI. c. 5—7. MIGNE. P. L. T. 41. col. 180—186) ita solius verae Ecclesiae proprium est verum jus ecclesiasticum."

[3] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 3. p. 15; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 49. III.

[4] Ajunt doctores hanc denominationem jam occurrere apud PAUCAPALEAM (medio Saec. XII) qui fuit discipulus magistri Gratiani, item paulo post apud RUFINUM, Glossatorem Gratiani. Cfr. JOH. FRIEDRICH (VON) SCHULTE (post 1870 acatholicus). *Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart* (Stuttgart 1875—1880) I. p. 30. not. 4; et ibid. in appendice p. 246; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 111 not. 4; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 3. p. 17. not. 8. post WALTER. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] p. 1. not. 10. Vide etiam GIETL in *Theologische Revue.* 1903 col. 400—403 occasione dissertationis A. HARNACK: *Jus ecclesiasticum. Eine Untersuchung über den Ursprung des Begriffes* (Sitzungsberichte der k. preuß. Akademie der Wissenschaften. Sitz. der phil.-hist. Klasse v. 26. Febr. 1903. Berlin).

[5] Jam a tempore Concilii Nicaeni (a. 325) Cfr. can. 2. 5. et seqq. h. Concilii. MANSI. *Conc. Coll.* T. II. col. 667. sqq. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 532. sqq. Cfr. etiam Can. 24. Conc. Ancyrani, a. 314; MANSI. l. c. col. 521; HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 324, ubi tamen versio gallica minus accurata est. Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 111.

magis proponebatur[1]. Insuper vox *canon* i. e. regula suaviorem imperandi modum Ecclesiae insinuat simulque indicat legem Ecclesiae semper et per eminentiam esse regulam agendorum[2]. Usus adhibendi nomen *canonis* pro legibus ecclesiasticis communibus in novo Codice revixit.

Ajunt nonnulli vocem juris ecclesiastici latius patere quam vocem juris canonici, cum hoc tantum secundum ipsos leges scriptas contineat, saltem eas, quae a Romanis Pontificibus et a Conciliis editae fuerunt et in collectionibus authenticis contentae, illud vero jus, quod quovis modo ab Ecclesia dimanat[3]. Communiter tamen hae voces promiscue usurpantur[4].

Antiquitus etiam nonnunquam vocabatur: *jus divinum*[5] propter ejus originem divinam in quantum nempe per Christum potestas Ecclesiae data fuit et in quantum in jure ecclesiastico nonnunquam jus divinum sive naturale sive positivum repetitur. Cfr. infra Tract. II. Pars. I. Sectio I. Melius tamen haec denominatio vitetur, quia — uti ex divisione supra n. 2. allata patet —, ansam praebere potest aequivocationi.

---

not. 2. Praeter vocem κανών initio etiam aliae denominationes occurrunt. v. g. θεσμοί ritus (v. g. can. 3. Conc. Antiocheni; a. 341; MANSI. l. c. col. 1309) ὅροι definitiones (v. g. can. 19. Conc. Ancyrani. a. 314; MANSI. l. c. col. 520). SCHERER. l. c. p. 136. not. 1. De variis significationibus vocis *canonis*, v. g. catalogi, oneris emphyteuseos (Cfr. in Codice can. 1542) vide SCHERER. l. c. p. 111, not. 2.

[1] Cfr. Nov. 137 Praef; Dict. Grat. ante C. l. D. III. et post C. 2. D. III; PHILLIPS. *Kirchenrecht* I. § 3. p. 16.

[2] Cfr. C. 2. D. III; BENEDICTUS XIV. *De Synodo dioecesana.* L. I. c. 3. n. 3. et 4. Erraret tamen, qui cum heterodoxis, uti RUDOLPH SOHM. *Kirchenrecht.* (Leipzig 1892), I. p. 1. vim obligandi hisce regulis sive canonibus denegaret et secundum significationem primitivam vocis „*canonis*" tantum vim directivam ipsis attribueret. Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 7. not. 11. et n. 46. not. 6; SEBASTIAN. SANGUINETI S. J. *Juris ecclesiastici Institutiones*[4]. (Romae 1901) p. 28.

[3] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 3. p. 17; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 28. not. 1.

[4] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 49. not. 26; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 28. not. 1. Immerito hoc a SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* I. p. 30 negatur. Denominatio *juris canonici* jam Saec. VIII. occurrit. Cfr. can. 3. Conc. Germanici. a. 742; MANSI. *Conc. Coll.* T. XII. col. 366; SCHULTE. l. c. p. 30 et not. 5. Saec. XII. voces: *jus canonicum* et *jus ecclesiasticum* inter se confunduntur. Cfr. SCHULTE. l. c. not. 4. et ibid. in appendice p. 246 et p. 255; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 111. not. 4.

[5] Cfr. C. 2. *de privilegiis.* V. 7. in VI⁰: „providimus, quod ibidem de cetero regatur et vigeat studium juris divini et humani, canonici videlicet et civilis." SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* I. p. 30. not. 4. et bid. in appendice p. 245 et p. 252.

7. Divisio. Jus canonicum pluribus modis dividitur et quidem:

I. Ratione MATERIAE in *publicum* et *privatum*[1]. Jus ecclesiasticum *publicum* definiri potest: jus, quod competit Ecclesiae, quatenus est societas perfecta[2]; jus ecclesiasticum *privatum* dicitur jus, quod competit singulis membris, quae ab Ecclesia reguntur[3]. Jus ecclesiasticum publicum dicitur etiam jus *constituens* quia respicit ipsam constitutionem Ecclesiae in modum societatis perfectae et tractat potissimum de subjecto potestatis ecclesiasticae; jus ecclesiasticum privatum vero dicitur jus *constitutum*, quia tractat de iis, quae Ecclesia in regimine suorum subditorum constituit[4]. Jus publicum iterum dividitur in *internum* et *externum*; *internum* dicitur, in quantum moderatur relationes juridicas inter Superiores et subditos Ecclesiae; *externum*, in quantum determinat relationes

[1] Nonnulli, uti PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 3. p. 18, 19; FRIEDRICH H. VERING. *Lehrbuch d. Katholischen, Orientalischen und Protestantischen Kirchenrechts*[3]. (Freiburg 1893) p. 5. § 5. II; item in *Archiv für Katholisches Kirchenrecht* (Innsbruck 1857 sq. postea Mainz) Bd. II (1857—1858) p. 565—577; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 12 IV. et not. 8 et 9; (sed vide ibid. p. 2. I); J. B. SÄGMÜLLER. *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts.*[2] (Freiburg 1909) p. 10 hanc distinctionem in jure ecclesiastico rejiciunt, sed immerito, quia distinctio haec in natura societatis perfectae, etiam ecclesiasticae solidum habet fundamentum et ibi etiam distingui possunt jura, quae Ecclesiae ut societati conveniunt a juribus, quae singulis ejus membris competunt. Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 50, et not. 29, ubi tamen bene annotat, difficultates adversariorum magis cadere in falsas quasdam acceptiones vocabulorum *juris publici* et *privati*, quam in genuinam significationem, quam nos adstruimus. Cfr. NILLES in *Zeitschrift für Katholische Theologie.* (Innsbruck 1877 sq.) I. p. 394—409.

[2] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] I. n. 19, sed vide WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 50 et ibid. not. 29—31, ubi in not. 31 carpit definitionem Cavagnis tamquam nimis latam. Fatendum utique, difficile esse, praecise assignare criterium distinctionis. Vide BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 2. not. 2; SANGUINETI. *Jur. Eccl. Inst.*[4] Praef. p. V. et VI.

[3] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] I. n. 18; F. DESHAYES. *Memento Juris Ecclesiastici.*[2] (Parisiis 1897) n. 5. Cfr. hic § 4. I. *De justitia et jure.* I. 1; fr. 1. § 2. D. *De justitia et jure.* I. 1.: „Hujus studii duae sunt positiones, publicum et privatum. Publicum jus est, quod ad statum rei Romanae spectat, privatum quod ad singulorum utilitatem; sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim. Publicum jus in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit. Privatum jus tripartitum est; collectum etenim est ex naturalibus praeceptis, aut gentium aut civilibus.“ Item C. 11. D. I.

[4] Cfr. SANGUINETI. *Jur. Eccl. Instit.*[4] Praef. p. V. et n. 44. TARQUINI. *Jur. eccl. publ. Instit.*[8] n. 2. et 3. Vide etiam WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 50. II. d. et not. 31, qui jus publicum restringit ad leges *divinas* de constitutione Ecclesiae; ita etiam L. RIVET S. J. *Quaestiones Juris Publici Ecclesiastici.* (Romae 1912) p. 10; M. BARGILLIAT. *Praelectiones Juris Canonici* 31. (Parisiis 1918) I. n. 9. p. 5 et ipse CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] I. n. 20; vide adhuc MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 24. not. 2.

societatis ecclesiasticae ad alias societates[1]. Jus publicum nonnisi summatim in novo Codice invenitur et quidem passim cum jure privato permixtum. (Cfr. v. g. Can. 100 § 1; 107—109; 218—219; 329 § 1; 1322 § 2; 1495 § 1; 1496; 1556; 2214 § 1.) Jus in Codice contentum quod ut plurimum privatum est dividitur in jus, tractans: 1) *de Normis Generalibus*; 2) *de Personis*; 3) *de Rebus*; 4) *de Processibus*; 5) *de Delictis et Poenis*[2]. Distinctio inter jus ecclesiasticum publicum et privatum sanctionem quandam obtinuit ex quo Leo XII Const: „*Quod divina sapientia*" d. 28 Aug. 1824 sub n. 209. specialem cursum Juris ecclesiastici publici in ditione Pontificia instituerit[3]; pari modo Leo XIII. a. 1880 specialem cathedram juris ecclesiastici publici Romae erexit[4].

II. Ratione MODI, quo inducitur, in *scriptum* et *non-scriptum*. Illud ab ipso legislatore et quidem scripto primitus est propositum, hoc vero non-scripto ab initio datum est, sed sive oretenus ab ipso legislatore propositum, uti evenit in *jure tradito*, sive per mores populi efformatum, accedente aliquo consensu legislatoris, uti obtinet in *jure consuetudinario*[5].

III. Ratione AMBITUS: 1) quoad LOCUM in *universale* et *particulare* prout in universo orbe Ecclesiae subjecto (saltem Latino) aut in aliqua ejus parte tantum vim habet; 2) quoad PERSONAS in *generale* et *singulare*, prout ligat omnes fideles, aut tantum aliquam classem personarum v. g. jus religiosum; 3) quoad APPLICATIONEM in *commune* et *speciale*, prout regulam ordinariam statuit, aut aliquam exceptionem a regula, v. g. privilegium[6].

Aliquando tamen pro *universali* dicitur *generale* aut *commune*, pro *generali* autem saepius *commune* dicitur; item voces *particulare*, *singulare* et *speciale* saepe promiscue sumuntur[7].

[1] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. Jur. Publ. Eccl.*[4] I. n. 26; LAURENTIUS. *Institutiones Jur. Eccl.*[3] n. 4. d.

[2] Cfr. Indicem Codicis et infra Tract. II. Pars II. Sectio II; fr. 12. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2: „Omne autem jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones."

[3] Cfr. *Bullarii Romanii continuatio.* T. XVI p. 85; n. 209. ibid p. 101—102.

[4] Cfr. CAVAGNIS. *Instit. jur. publ. eccl.*[4] I. Praefatio p. VII. Vide etiam statuta, a S. Sede approbata Universitatis catholicae Washingtonensis in *Archiv f. kath. Kirchr.* Bd. 65 (1891 I) p. 44.

[5] Cfr. WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 50. IV; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars I. Sectio II. c. 2.

[6] Appellatio: *jus commune* occurrit etiam in c. 7. X. *de procuratoribus.* I. 38; c. 51. X. *de appellationibus, recusationibus et relationibus.* II. 28.

[7] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 2. § 2. III; p. 11. V.; p. 111. III; VERING. *Lehrb. d. Kirchr.*[3] p. 6, 7. AICHNER-FRIEDLE. *Compend. Jur. Eccl.*[11] p. 10.

IV. Ratione TEMPORIS antea dividebatur in *jus antiquum*, ab initio Ecclesiae usque ad Gratianum (circa 1150), *jus novum* (a nonnullis etiam *jus medii aevi* nuncupatum) a Gratiano usque ad Tridentinum (1545), *jus novissimum* (a nonnullis etiam *jus novum* nuncupatum) a Tridentino usque ad Vaticanum (1870) et deinceps[1]. Hodie in Codice Can. 6. omne jus anterius *jus vetus* aut *jus antiquum* vocatur[2] et quidquid de hoc jure veteri nec explicite, nec implicite in Codice contentum est, hodie *antiquatum* dici debet. Cfr. Can. 6. n. 6[3].

Caput III
De Scientia Juris Canonici

8. Notio. Cum scientia sit cognitio certa et evidens per causas[4], nomine scientiae juris canonici venit cognitio legum ecclesiasticarum, non proprie quatenus in se considerantur, sed etiam in earum causis. Quare primum leges vigentes examinandae sunt, dein earum sensus, origo et finis indagari debent, vicissitudines, quas passae sunt tam sub respectu historico, quam sub respectu juridico, applicatio earum ad praxin et tandem connexio quam habent sive inter se sive in ordine ad alias scientias cognatas necnon ad finem communem Ecclesiae[5].

9. Connexio cum Theologia. Ratione *originis*, scil. proxime sive remote ex fontibus revelationis, unde potestas Ecclesiae oritur, et ratione *materiae*, scil. legum divinarum et ecclesiasticarum de constitutione et regimine Ecclesiae, scientia Juris Canonici est pars *scientiae theologicae* et quidem Theologiae *practicae*, non theoreticae[6];

[1] Ita etiam CARDIN. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 2.

[2] Cfr. hic A. VERMEERSCH S. J. — J. CREUSEN S. J. *Epitome Juris Canonici cum Commentariis.* (Mechliniae-Romae 1921) I. p. 6.

[3] Cfr. BARGILLIAT. *Praelect. Jur. Can.*[31] I. n. 11. p. 6.

[4] Cfr. ARISTOT. *Posteriorum Analyticorum.* L. I. c. 2 et comment. S. THOM. in hunc. locum. L. I. Lectio 4.

[5] „Scire leges" — ita ait CELSUS in fr. 17. D. *De legibus senatusque consultis et longa consuetudine.* I. 3. — „non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem." Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 20—24; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 113. I; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 5; BLAT. *Comment Text. Cod.* I. p. 27—28. Vide etiam partim S. THOM. I. II. Q. 96. a. 1. et Q. 97. a. 1.

[6] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57 junct. c. n. 53 et not. 46; LAURENTIUS. *Instit. Jur. eccl.*[3] n. 6; SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* I. p. 30. not. 6; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 24; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 113. not. 2; MELCHIOR CANUS O. P. *De locis theologicis.* L. VIII. c. 6. et partim etiam BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. 22—23. Vide JACOB. PIGNATELLI. *Consultationes Canonicae.* (Ed. 5. Venetiis

ab initio etiam usque ad tempora Gratiani jus ecclesiasticum a sacra theologia distinctum non fuit[1]. Differt a Theologia *speculativa* seu *dogmatica*, quatenus haec agit de *credendis* et inde conclusiones suas theoreticas deducit; Jus Canonicum vero, uti pars *Theologiae practicae* respicit ea, quae sunt *agenda* et inde conclusiones suas practicas derivat[2]. Nonnunquam tamen in jure merito quaedam dogmata ponuntur quae simul vera jura continent. Cfr. v. g. Can. 1119 et Can. 1960 coll. cum Conc. Trident. sess. XXIV *de matrimonio*, can. 6 et can. 12[3].

In ipsa specie vero Theologiae practicae differt a Theologia *morali stricte dicta*, eo quod haec respiciat generatim *rectitudinem moralem* omnium actionum humanarum in ordine ad Finem ultimum, quatenus subjiciantur foro Dei; Jus Canonicum vero respicit tantum *rectitudinem juridicam* actionum fidelium in ordine ad potestatem externam et socialem Ecclesiae, quatenus directe ejus foro subjiciuntur[4]. Nonobstante tamen hac differentia multae

---

1736) T. I. Cons. 147, ubi n. 11 dicit: „At juris Canonici disciplina Theologia quaedam practica est." et n. 12: „addo, jus Canonicum subalternatum esse Theologiae, saltem ut partem toti. Est enim jus Canonicum portio quaedam Theologiae." Curiositatis ergo conferatur etiam BANNEZ. *Decisiones de Jure et Justit.* Prologus circa finem, ubi tamen nimis deprimit munus canonistarum.

[1] Cfr. DE CAMILLIS. *Institutiones Juris Canonici.* (Parisiis 1868) Prolegom. § 3. IV. p. 6. Vide infra Tract. II. Pars. II. Sectio I. Periodus II. cap. 1, circa finem, ad verba: *Influxus operis* (sc. Gratiani).

[2] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 3; CAVAGNIS. *Instit. Jur. publ. eccl.*[4] I. n. 27—30. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57. junct. c. n. 46 not. 9. „In canonum . . . collectionibus non dogmata sed jura desiderantur" — ita FRANCISCUS SENTIS in *Clementis Papae VIII Decretales, quae vulgo nuncupantur Liber Septimus Decretalium Clementis VIII* . . . (Friburgi Brisgoviae 1870) p. XVI.

[3] Quin imo antea collectiones decretalium (Greg. IX, Bonif. VIII et Clem. V) uti et Codex Instiniani in Lib. I. Tit. I. incipiebant a Titulo: „*De Summa Trinitate et Fide Catholica*". Cfr. PIRHING. *Jus can.* L. I. Tit. I; PHILLIPS. *Kirchenrecht* I p. 28—29.

[4] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 3. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57. *Theologia practica* dividi potest: 1. in *Theolog. moralem stricte dictam*, quae respicit *moralitatem*, sensu limitato acceptam, actionum humanarum; 2. in *Theolog. asceticam*, quae respicit *perfectionem* actionum humanarum; 3. in *Theolog. juridicam*, quae respicit *relationes juridico-ecclesiasticas* actionum humanarum et quidem: a) in ordine ad *cultum divinum* per *Jus liturgicum*; b) in ordine ad *constitutionem societatis ecclesiasticae* per *Jus eccles. publicum*; c) in ordine ad *directionem membrorum* Ecclesiae per *Jus eccles. privatum.* Cfr. partim BOUQUILLON. *Theol. Mor. Fundam.*[3] n. 16. junct. c. n. 10. Vide etiam SCHANZ in *Wetzer und Welter, Kirchenlexicon*[2] (Freiburg 1882—1903) in *v. Theologie.* 4. De relatione Theologiam inter et Jus Canonicum cfr. adhuc AUGUSTINUS TRIUMPHUS.

quaestiones aeque bene a moralistis tractari possunt sub respectu morali ac a canonistis sub respectu juridico v. g. quae referuntur ad obligationes clericorum aut ad administrationem Sacramentorum, in quantum hic etiam plures leges ecclesiasticae observandae veniunt. Quare divisio materiae tunc praxi utriusque scholae relinquitur.

10. Scientiae auxiliares Juris Canonici. Quod ad *scientias auxiliares* Juris Canonici attinet, praerequiritur utique sana *Philosophia* et praesertim *Logica* et *Ethica*[1]. Insuper cum in Jure Canonico excolendo jam versemur intra Ecclesiam catholicam invicte, ut supponimus, demonstratam, *Theologia dogmatica* et praesertim *Theologia fundamentalis*, ubi etiam legum ecclesiasticarum fundamenta inveniuntur, jure hic praesupponuntur demonstratae. Quin imo probato semel quotidiano et infallibili Ecclesiae magisterio, definitiones et conclusiones dogmaticae sunt pro canonistis principia cognoscendi, ex quibus constat, quanam potestate Christus Ecclesiam suam instructam esse voluerit et quid de seipsa declaraverit Ecclesia[2]. Quare non jus *mere philosophicum*, nec jus *pure juridicum* aut *humano-positivum*, neque jus tantum *historicum* hic adstruimus, sed jus vere *theologico-juridicum*, non ex causis mere humanis ortum, sed ex institutione tam divina quam humana conditum et cum veritatibus revelatis intime conjunctum[3].

Aliae scientiae auxiliares Juris canonici multae enumerantur[4] et quidem potissimum, uti i. a. ex Tractatu II de Fontibus Juris

---

O. Erem. S. Aug. *Summa de potestate ecclesiastica.* Q. 108. art. 3. DUBALLET. *Cours . . . de Droit can.* I. n. 58.

[1] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57; LAURENTIUS. *Instit. Jur. eccl.*[3] n. 5. Parum recte SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 114. not. 3. partes Philosophiae ut scientiae auxiliaris Juris Canonici nimis deprimit.

[2] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57; CAVAGNIS. *Instit. Jur. publ. eccl.*[4] I. n. 30—32.

[3] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 57 in fine junct. c. n. 53 et not. 46; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 113. II; sed vide quaenam cl. WERNZ. ipsi in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XI (1887) p. 333 non immerito improperet. Reprobanda utique sunt quae SCHULTE. *Gesch. der Q. u. Lit. d. Can. R.* passim v. g. III. P. I. (sive A) p. 59 sq. p. 65 et partim P. II. et III. (sive B) p. 279 sq. de indole scientiae juris canonici inde a tempore Concilii Tridentini scribit.

[4] Cfr. JOANNES DOUJAT (Doviatius). *Praenotionum Canonicarum Libri quinque*[4]. (Venetiis 1735) L. V. c. 11—17; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 20 et notae ibid p. 115—120; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] § 12, p. 61—65; VERING. *Lehrb. d. Kirchr.*[3] § 9, p. 10—16; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 28—35; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 7. WERNZ. *Jus decr.* I.[2] n. 58.

Canonici facile patebit, *Historia ecclesiastica*[1] et partim etiam *profana*, cum scientiis annexis necnon propter similitudinem materiae *Jus civile*, sive antiquum et praesertim *Jus Romanum*[2], sive modernum[3], quia, uti videbimus[4], ex una parte Ecclesia saepe sese accommodavit et adhuc nonnunquam sese accommodat Juri Civili, ex alia parte vero Jus Civile non semel imitatum est Jus Canonicum, v.g. quoad modum instruendi processum civilem[5].

11. Jurisprudentia. A scientia juris canonici distingui debet *jurisprudentia*, quae etsi nonnunquam cum scientia ipsa confundatur[6] et maxime cum scientia practica, quatenus haec denotat magis *facilitatem* in interpretandis legibus ecclesiasticis et applicandis illis ad casus particulares[7], tamen proprie a canonistis

---

[1] Cfr. hic praeter opera antiquiora, uti BARONIUS. *Annales ecclesiastici* (Romae 1588—1607, Fol. 12) continuat. RAYNALDUS (1646—1677, Fol. 9), LADERCHIUS (1728—1738, Fol. 3) et AUG. THEINER (1856, Fol. 3) omnes e Congr. Orat, quibus addatur *Critica historico-chronologica in universos Annales eccl. Baronii* auctorib. ANTONIO ejusque nepote FRANZISCO PAGI amb. O. Min. Convent. (Antverpiae 1705, Fol. 4); CARD. HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*[5]. (Freiburg 1911—1917, Tomi 4). ALOIS. KNÖPFLER. *Lehrbuch der Kirchengeschichte*[6]. (Freiburg 1920); FERNAND MOURRET. S. Sulp. *Histoire générale de l'Eglise* (Paris 1920—1921, Tomi IX). P. ALBERS S. J. *Enchiridion Historiae Ecclesiasticae universae* (Versio Latina ad ed. 2. Neerlandicam. Neomagi (in Hollandia) 1909—1910).

[2] Vide infra Tract. II. Pars. I. Sectio III. cap. 2.

[3] Vide infra Tract. II. Pars. I. Sectio III. cap. 3.

[4] Vide infra Tract. II. Pars. I. Sectio III. cap. 2 et 3.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 275 et not. 41; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 62; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 65 not. 2; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 25—28; „Sicut (humanae) leges" ita ait LUCIUS III in c. l. X, *de novi operis nunciatione.* V. 32" non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur." Cfr. etiam JUSTINIAN. in l. 45. C. *de episcopis et clericis* . . . I. 3; „sacros autem canones non minus, quam leges valere, etiam nostrae volunt leges" et in Nov. 83. c. l.: „quum talia (sc. negotia) ecclesiastice examinari . . . et . . . per sacros divinosque canones emendari oporteat, quos etiam leges nostrae sequi non dedignantur." Cfr. etiam Nov. 137. Praef.

[6] Ita ULPIANUS in fr. 10. § 2. D. *De justitia et jure.* I. 1; „Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, justi atque injusti scientia." Item JUSTINIANUS in § 1. I. *De justitia et jure.* I. 1. Cfr. etiam LUCIUS FERRARIS. O. Min. *Prompta Bibliotheca canonica* . . . T. IV. i. h. v. n. 1; WALTER. *Lehrb. d. Kirchenr.*[14] p. 5. n. 4.

[7] Cfr. MAURUS SCHENKL. *O. S.* Ben. *Institutiones juris ecclesiastici* (Coloniae 1815) I. § 57; WERNZ. *Jus decr.*[2] I. n. 59. IV; LAURENTIUS. *Instit. Jur. eccl.*[3] n. 5; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. X. et p. 28. Loco jurisprudentiae melius diceretur *jurisperitia.* Cfr. SCHENKL. *Instit. jur. eccl.* I. § 59; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 113. not. 2; LAURENTIUS. *Instit. Jur. eccl.*[3] n. 5.

definitur: Modus stabilis et uniformis interpretandi legem in casibus particularibus et maxime in causis judicialibus[1]. Adhuc in alia significatione vox jurisprudentiae adhibetur, quatenus nempe significat *Stylum Curiae*, apud tribunalia ecclesiastica occurrentem; nomine autem *Styli Curiae* venit forma tractandi res apud Curias ecclesiasticas et maxime apud Curiam Romanam et tribunalia suprema usitata. Cfr. Can. 20[2].

12. Textus et Institutiones. In colenda autem scientia Juris Canonici jam dudum distingui coeptum est inter Scholam *Textus* et Scholam *Institutionum*[3]. Schola *Textus* intendit tradere completam tractationem legum ecclesiasticarum sequendo textum ipsum et ordinem, quo in collectione legali, h. e. antea in collectionibus authenticis decretalium necnon in Decreto Gratiani[4] hodie vero in Codice inveniuntur[5]. Schola *Institutionum* solet tradere prima elementa et expositionem tantum summariam totius doctrinae Juris Canonici[6]. Studium *Textus* magis reservabatur Lyceis

---

[1] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. can.*[2] I. n. 366, qui tamen notionem jurisprudentiae tantum restringit ad uniformitatem in *sententiis judicialibus*; quare ab ipso jurisprudentia definitur." Constans uniformitas sententiarum, quae in tribunalibus feruntur circa genus aliquod causarum." In Jure Romano haec jurisprudentia vocabatur: „*auctoritas rerum similiter judicatarum.*" Cfr. fr. 38. D. *De legibus senatusque consultis et longa consuetudine.* I. 3; MAROTO. *Instit. Jur. can.*[2] I. n. 366; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 135. V, ubi tamen in not. 27 occasione effati Justiniani in l. 13. C. *De sententiis et interlocutionibus omnium judicum*, VII. 45: „non exemplis, sed legibus judicandum est." nimis severe loquitur. Vide dein ibid. p. 145. II. Cfr. etiam c. 19 X. *de sententia et re judicata.* II. 27: „quum in similibus casibus ceteri teneantur similiter judicare." (Innoc. III) atque etiam partim S. THOMAS. I. II. Q. 96. a. 1. ad. 1. in fine.

[2] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. can.*[2] I. n. 366. coll. c. n. 362—365 et n. 384. not. 5; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 135. V; p. 145. II. et p. 294, I.

[3] Jam inde a Saec. XVI; cfr. SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* III. P. II. et III. (sive B.) p. 315, 320, 327 et ibid. in nota, ubi apparet in archigymnasio Romano primum Alexandrum VII circa a. 1658 cathedram Institutionum canonicarum reliquis cathedris Decreti et Decretalium adjecisse. Vide etiam ibid. BEN. XIV. et dein cfr. LEO XII. Const.: „*Quod divina Sapientia.*" 28. Aug. 1824. n. 209; PIUS IX. Const. „*Ad piam*" 3 Oct. 1853 sub Tit: De cursu Facultatum legalium. Cfr. adhuc PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 44—45.

[4] Cfr. infra Tract. II. Pars. II. Sectio I. Periodus II.

[5] Cfr. Decr. *S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus.* 7 Aug. 1917; *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 439; vide infra n. 14.

[6] Cfr. DOUJAT. *Praenot. Canon.*[4] L. V. c. 21 inde a. n. 7. WERNZ. *Jus decr.*[2] I. n. 1—4, 56 et 60.; BADII. *Instit. Jur. can.*[2] I. n. 2; JOS. NOVAL. O. P. *Codificationis Juris Canonici recensio . . .* et *Codicis Piano-Benedictini notitia generalis.* (Romae 1918) n. 81—85; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] Ad Lectorem.

sive Athenaeis aut Universitatibus studiorum[1], ubi facultas Juris Canonici erecta est et gradus academici conferuntur; studium *Institutionum* vero vulgo praemittitur studio Textus et insuper plus minusve in extenso tradi solet in Seminariis et in Institutis theologicis religiosorum necnon in aliis similibus studiorum sedibus[2].

In hac distinctione *Textum* inter et *Institutiones* doctores imitati sunt Imperatorem Justinianum, qui in Corpore suo Juris Civilis Romani libris Pandectarum seu Digestorum praemisit librum Institutionum, ubi in commodum studiosae juventutis compendium totius Juris Civilis tradebatur[3]. Attamen dum Institutiones Justiniani in textum ipsum legalem receptae erant, Institutiones Juris Canonici, quae passim in editionibus Corporis Juris canonici apponebantur, tantum privatae erant auctoritatis. Auctor harum Institutionum fuit JOANNES PAULUS LANCELOTTUS (1522—1590), vir laicus, matrimonio junctus et in Universitate Perusina juris canonici professor. Etsi hic auctor ex mandato Pauli IV librum suum Institutionum adornandum susceperit et dein omnem operam adhibuerit, ut liber hic tamquam legalis a Romano Pontifice agnosceretur, id tamen consequi non potuit; quare mansit opus privatae auctoritatis, etsi deinceps communiter in editionibus Corporis Juris Canonici apponeretur[4]. Librum suum divisit ad instar Juris Romani[5] et pressius ad instar Institutionem Justiniani in quatuor Tractatus, scil: *de Personis, de Rebus, de Judiciis* et *de Criminibus et Poenis*, quae divisio quoad substantiam in Codice hodie recurrit[6]. Exemplum Lance-

---

[1] Cfr. Can. 256. et decr. jam cit. *S. C. de Semin. et de Stud. Universit.* 7. Aug. 1917.

[2] Cfr. WERNZ. *Jus decr.*[2] I. n. 327; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. Praef. p. 8—11; BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 3; NOVAL. *Codificat... recensio.* n. 81.

[3] Cfr. JUSTINIANUS Const. „*Imperatoriam Majestatem*" in Proöemio Institutionum. § 3—6. Idem JUSTINIANUS Const. sua: „*Omnem reipublicae*" in Proöemio Digestorum § 2—6. praescripserat, ut Juris studiosi primo anno incumberent studio Institutionum et per reliquam partem prim anni et per quatuor annos subsequentes studio Digestorum et Codicis. Vide infra Tract. II. Pars. I. Sectio III. cap. 2.

[4] Vide infra Tract. II. Pars. II. Sectio I. Periodus II, cap. 7 sub. num: *Additamenta Corporis Juris Canonici.*

[5] Cfr. § 12. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2: „Omne autem jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones." Cfr. etiam fr. 1. D. *De statu hominum.* I. 5.

[6] Cfr. supra n. 7. I. p. 19.

lotti, cujus Institutiones multum divulgatae erant, plures alii deinde in edendis Manualibus imitati sunt[1].

Post promulgationem Codicis etsi novi libri Institutionum jam editi sunt[2] et alii passim orituri praevidentur, qui utique perquam utiles esse possunt studio Juris Canonici, videtur tamen hodie non incongrue etiam in ipsa schola elementari, vulgo Schola Institutionum dicta, saltem, ubi non habetur schola separata Textus, textui ipsi, licet summarie, studeri posse, dummodo huic studio ea praemittantur aut inserantur, quae pro incipientibus in schola Juris requirantur[3]. Videtur hic modus conjungendi studium Institutionum cum studio Textus magis convenire hodierno statui Juris Canonici post promulgationem novi Codicis, cum omnes etiam in scholis elementaribus desiderent textum ipsum prae manibus habere et singulos canones, scitu magis necessarios accuratius cognoscere[4]. Quamobrem differentia inter scholam elementarem, quae vulgo *schola Institutionum* audit et *scholam Textus* proprie dictam, saltem ubi non duplex habetur schola, forte magis quaerenda est in eo, quod in hac textus ipse

---

[1] Cfr. SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* III. P. I (sive A) p. 451—453; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 273. et not. 31; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 2. et n. 319.

[2] Jam celeriter editi sunt: JOANNES B. FERRERES S. J. *Institutiones canonicae juxta novissimum Codicem.* Tomi II. (Barcinone 1917—1918); M. BARGILLIAT. *Praelectiones Juris Canonici.* Tomi II. (Parisiis 1918. Ed. 31. ad codicem redacta; jam prodiit ed. 36); DOMINIC. M. PRÜMMER. O. P. *Manuale Juris ecclesiastici.* Ed. 2. sec. Codicem recognita (Friburgi 1920; jam prodiit Ed. 3). CAESAR BADII. *Institutiones Juris Canonici.* Ed. 2. sec. Codicem recognita. Vol. I. II. (Florentiae 1921—1922); J. B. RAUS. C. SS. R. *Institutiones canonicae* in forma compendii juxta Methodum faciliorem novi Codicis Juris. ... (Lugduni. Parisiis 1924).

[3] Hanc viam jam inierunt et quidem longius PHILIPPUS MAROTO C. M. F. *Institutiones Juris Canonici ad normam novi Codicis.* Tomus I. (Jam Ed. 3.) Tom. II.Fasc. I. (Matriti. Romae 1921). Vide etiam ibid. n. 30, ubi loquitur de methodo exegetica *praesertim* in scholis textus adhibenda; dein brevius GUIDUS COCCHI C. Miss. *Commentarium in Codicem Juris Canonici ad usum scholarum.* Lib. I. et Lib. II. Lib. III (Taurinorum Augustae 1920—1924). Vide ibid. Proöemium p. X. ubi opus suum vocat: „Institutiones Juris Canonici ad normam Novi Codicis"; praeterea A. VERMEERSCH. S. J. et J. CREUSEN S. J. *Epitome Juris Canonici cum commentariis ad scholas et ad usum privatum.* Tom. I. II. III. (Lib. I—V Codicis) (Mechliniae-Romae 1921—1923). Quod ad reliquam bibliographiam attinet in ordine ad novum Codicem, praecipue quoad monographias et quoad commentarios Textus proprie dictos vide i. a. *Monitore ecclesiastico.* Vol. 33 (1921) p. 85 sq. et p. 306 sq. et infra Tract. III in fine.

[4] Cfr. VERMEERSCH in: *Periodica de Re Canonica et Morali* (antea *de Religiosis et Missionariis* dicta) IX. (1920) p. 66 praesertim n. 3.

pleniori modo exponatur, in illa vero magis summarie, adjectis simul definitionibus et divisionibus pro incipientibus in schola Juris requisitis[1].

13. Methodus. Quod ad *methodum* attinet, primo loco hic venit methodus *exegetica*, quae analytice procedens unice in accuratam interpretationem textus incumbit; huic tamen accedere debet, prout materia hoc suadet, methodus *systematica*, sive *synthetica*, quae more in scholis recepto una cum interpretatione textus tradit definitiones, divisiones, conclusiones, refutationes objectionum et insuper nexum cum aliis ordinationibus canonicis aut cum aliis scientiis cognatis[2]. Utiliter etiam cum hac methodo systematica conjungi potest et debet methodus *historica*, quae originem, mutationes, et vicissitudines variorum canonum describit[3], necnon methodus *practica*, quae regulas generales in legibus contentas ad casus practicos applicat[4].

Multiplex haec methodus, opportune conjungenda, post promulgationem Codicis omnibus ac singulis studiorum Universitatibus et juris canonici Lyceis, quae ad normam Can. 256, § 1 S. Congregationi de Seminariis et de studiorum Universitatibus

---

[1] Ita etiam sentit NOVAL. *Codificat... recensio.* n. 81. et 84; item BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 3, ubi dicit: „in scholis dioecesanis (ubi) commode fieri non potest, ut ea duplex habeatur schola... opus est... ut schola Institutionum magis accedat ad scholam Textus." Pari modo jam antea sentiebat WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. Proöemium. p. 5.

[2] Methodus haec a nonnullis vocatur methodus *philosophica*. Ita v. g. loquitur WALTER. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] p. 5 et post eum PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. p. 22—23; SÄGMÜLLER, *Lehrb. d. Kirchr.*[2] p. 13 et SCHERER, *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 114. et not. 3, qui tamen nimis ab ea abhorret.

[3] Hanc methodum inter catholicos praesertim sequuntur WALTER, PHILLIPS et SCHERER, in operibus saepe jam citatis; passim etiam BENED. XIV. in variis suis operibus canonicis partim jam citatis uti de *Synodo dioecesana* et partim adhuc citandis, quae jure merito ab ipso SCHULTE. *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrechts*[2] (Gießen. 1868) p. 82. et *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* III (A) p. 503. sq. inter opera canonica omnium praestantissima recensentur. Dein praeter ipsum SCHULTE in operibus saepe jam citatis inter acatholicos in parte historica scientiae Juris canonici maxime eminet PAUL HINSCHIUS in opere *System des Katholischen Kirchenrechts.* (Berlin. 1869 sq.)

[4] Quoad methodum cfr. adhuc. DOUJAT. *Praenot. Canon.*[4] L. V. c. 21; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 3. et n. 59; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. 27—28; NOVAL. *Codificationis... recensio.* n. 83. Plura quoad historiam methodi olim vigentis et paulatim dilabentis refert SCHULTE. *Gesch. d. Q. u. Lit. d. Can. R.* I. p. 212—220; II. p. 456—484; III (B) p. 279. sq; 298. sq; 310. sq.; 328. sq.; 337. sq. ubi tamen saepius pro more animum suum ostendit a doctrina Ecclesiae alienum. Vide etiam quae ibid. III. (B) p. 317. not. 7. referat de methodo olim in Austria vi ordinationum Status praescripta.

parent, pro schola antehac *Textus* nuncupata praescripta est vi decreti S. C. de Seminariis et de studiorum Universitatibus d. 7 Aug. 1917, quod decretum una cum alio decreto ejusdem S. Congregationis huc spectante n. seq. transscribemus. In aliis Institutis theologicis hoc decretum tamquam norma directiva considerari potest et applicari prout opportunitas hoc fert spectata indole et duratione scholae ibid. existentis[1].

14. Decreta S. Sedis quoad methodum[2].

S. Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus

De novo Juris Canonici Codice in scholis proponendo.

Cum novum juris canonici Codicem SS. D. N. Benedictus Pp. XV a die festo Pentecostes proximi anni millesimi nongentesimi duodevicesimi in universa latina Ecclesia vim habiturum esse edixerit, liquet ex eo ipso die Codicem fore authenticum et unicum juris canonici fontem, proptereaque tum in disciplina Ecclesiae moderanda, tum in judiciis et in scholis eo uno utendum esse. Quam sit igitur necessarium, clericis praesertim, Codicem probe nosse atque omnino habere perspectum, nemo est qui non videat.

Itaque Sacra haec Congregatio, ut in re tanti momenti rectae alumnorum institutioni pro officio suo consulat, omnibus ac singulis studiorum Universitatibus et juris canonici Lyceis quae, ad normam can. 256, § 1, eidem Sacrae Congregationi parent, praecipit ac mandat, ut in schola antehac *textus* aptissime nuncupata, in qua jus canonicum penitus copioseque praelegitur, ita in posterum ejusmodi disciplina tradatur, ut alumni, non modo Codicis sententia *synthetice* proposita, sed accurata quoque uniuscujusque canonis *analysi*, ad cognoscendum et intelligendum Codicem veluti manu ducantur: debent scilicet doctores juri canonico tradendo, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Iidem tamen magistri, ante quam dicere de aliquo instituto juridico

[1] Cfr. Noval. *Codificationis ... recensio.* n. 81. et 82; Cocchi. *Comment. Cod.* I. p. 35, 36; *Monitore ecclesiastico.* XXIX (1917) p. 351; Vermeersch in Period. IX. (1920) p. 66.

[2] Quoad haec decreta cfr. Maroto in: *Commentarium pro Religiosis.* I (1920) p. 65—70 Hilling in *Archiv f. kath. Kirchr.* Bd. 98 (1918) p. 81; et Bd. 99 (1919) p. 59; Vermeersch in *Period.* IX (1920) p. 64—66; *Monitore ecclesiastico.* XXIX (1917) p. 349—351.

aggrediantur, apte exponant qui ejus fuerit ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, mutationes ac vices, ut discipuli pleniorem juris cognitionem assequantur.

Nullo, ceterum, praeter Codicem, libro alumnos uti necesse erit; quodsi doctoribus placuerit eos unum aliquem adhibere librum, id sancte retinendum, ut non ejus libri ordini ordo Codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur.

Romae, ex aedibus S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus, die VII mensis augusti anni MCMXVII.

L. S. CAJETANUS CARD. BISLETI, *Praefectus.*

Joseph Rossino, *Substitutus*[1].

S. Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus Decretum

De Experimentis ad Gradus in Jure Canonico assequendos.

Legum canonicarum Codice promulgato, Sacra Congregatio de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, litteris datis die VII augusti elapsi anni, viam et rationem praescripsit, quam in disciplina Juris posthac Pontificia Athenaea sequerentur. Huic autem rationi, seu methodo, ut ipsa doctrinae pericula, quae fiunt ad gradus academicos assequendos, sint consentanea, eadem S. Congregatio experimentis in jure canonico moderandis has leges constituit.

I. Quoniam in praelectionibus Codex Juris Canonici est tamquam textus adhibendus, periculorum materia sint ipsi Codicis canones, vel omnes, vel partim, pro diversitate gradus adipiscendi, remoto quolibet indice thesium, vel quae doctrinam exhibeant in ipsis canonibus contentam.

II. Candidati ad academicos gradus exegesim seu interpretationem exponant canonum, prout habentur in Codice, sive singillatim considerentur, sive conjuncte cum aliis.

---

[1] Cfr. *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 439. Cfr. etiam Epist. Ben. XV. ad Petrum Card. La Fontaine d. 16 Julii 1917, ubi i. a. doctoribus disciplinae juris tradendae dicitur: „Qua in re volumus, ita juris canonici disciplinam in posterum tradatis ut Codicem, prouti evolvitur, gradatim commentata oratione declaretis; neque enim Nobis probabitur quicumque, excurrendo, ingenio nimis indulserit suo, discipulosque a via jamnunc expeditiore deflexos, in tricas vel in difficultates conjecerit." *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 381—382; HILLING in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 98 (1918) p. 83.

III. Candidati, non modo singulos canones interpretari et explicare, quantum gradus ratio exigit, probe noverint; sed etiam de uniuscujusque instituti juridici ortu, progressu et historia, doctrinae suae specimen dabunt.

Quas leges SSmus D. N. Benedictus PP. XV ratas habuit et confirmavit, atque in omnibus Athenaeis seu Universitatibus vel Facultatibus, quae e Codicis praescripto (can. 256, § 1) huic Sacrae Congregationi subsunt, servari jussit ab anno academico, qui propediem incipiet. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, die 31 octobris, anno 1918.

L. S. C. Card. Bisleti, *Praefectus.*

† I. Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius*[1].

15. Necessitas. *Necessitas* hujus studii vel ex eo apparet, quod ingerat cognitionem earum legum, quae fidelibus pro varia eorum conditione praescriptae sunt[2]. Et maxime quidem *clericis*, praesertim iis, qui curae animarum incumbunt, haec scientia necessaria est, quippe quum longa major pars legum Ecclesiae eorum jura et officia determinent et ipsis potissimum incumbat leges et praerogativas Ecclesiae defendere ejusque regnum pro-

---

[1] Cfr. *Acta Ap. Sedis.* XI (1919) p. 19. Ut juniores sacerdotes melius praxin acquirere possint expediendi negotia ecclesiastica et applicandi leges canonicas, jam dudum penes S. Congr. Concilii erecta erat quaedam schola sive „Studium" ubi clerici adscripti sub directione Secretarii aut ejus Vices-gerentis causas apud S. Congr. Concilii pertractandas praepararent. Plura de hoc Studio vide apud Bouix. *Tractat. de Curia Romana* (Parisiis. 1859) p. 174—175; et praesertim apud Joh. Heinr. Bangen. *Die Römische Curie* (Münster. 1854) p. 163 sq. et p. 169 sq. et p. 499—500. Bened. XV. decreto S. C. Conc. 11. Nov. 1919 hoc Studium denuo instauravit, simul statuens, paucissimos tantum sacerdotes selectos ex uno aut altero clero, a suis Ordinariis specialiter commendatos et litteris „Nihil obstat" a parte Vicariatus Urbis munitos ad hoc Studium admissum iri. Porro debent esse praediti laurea doctorali saltem in Jure Canonico et per triennium hoc Studium frequentare, quo finito accipient testimonium proportionatum, si modo illud meruerint. Cfr. *Acta Ap. Sedis.* XI (1919) p. 463 et XII (1920) p. 50—51, ubi apponitur speciale. „Regolamento" sive Ratio studiorum edita a S. C. Conc. d. 15 Dec 1919. Cfr. adhuc Vermeersch *Period.* X (1921) p. 62—63; *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 99 (1919) p. 156 et Bd. 100 (1920) p. 136; *Le Canoniste contemporain.* T. 42 (1919) p. 535; et T. 43 (1920) p. 88—89; *Monitore ecclesiastico* XXXII (1920) p. 47—49.

[2] Cfr. S. Thom. I. II. Q. 76. a. 2. c: „Unde ... tenentur scire ... singuli ... ea, quae ad eorum statum, vel officium spectant."

pagare[1]. Quare jam ab antiquis temporibus in Conciliis et in ordinationibus R. R. Pontificum haec scientia clericis inculcabatur; ita v. g. Conc. Toletanum IV (a. 633) c. 25 statuit: „Sciant ergo sacerdotes scripturas sacras et canones[2]"; et S. Coelestinus Papa (422—432) monuit: „Nulli sacerdotum liceat canones ignorare"[3]. Pari modo Benedictus XV post publicationem novi Codicis hujus studium praescribit[4] et S. Congr. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus in decreto d. 7 Aug. 1917, nuper allegato (n. praeced.) concludit: „Quam sit igitur necessarium, clericis praesertim, Codicem probe nosse atque omnino habere perspectum, nemo est, qui non videat"[5].

Neque *laicis* haec scientia supervacanea dici debet; quin imo et ipsis aliquando necessaria est, hodiernis praesertim temporibus, potissimum ubi partem habent in comitiis publicis, aut in foro civili, aut in ipso regimine Societatis civilis, ut ibi jura Ecclesiae defendant, ubi clerici saepius id praestare nequeunt[6].

16. Praestantia. *Praestantia* hujus studii non tantum ex ejus necessitate apparet, sed etiam ex ipsa indole legis ecclesiasticae, quae non solum, uti omnis lex justa, in bonum subditorum est ordinata, sed ut conjuncta cum doctrina revelata ejus etiam

---

[1] Cfr. Nov. 6. c. 4; Melchior Canus. *De locis theologicis.* L. VIII. c. 6; Scherer. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 114. IV. Jure hic notat Carol. Sebastian. Berardi. *Commentaria in Jus eccl. univers.* (Aug. Taurin. 1766 et saepius) Praef. p. XIII: „dicere soles eum qui insalutata canonum disciplina Theologus . . . audit, . . . non Theologiam . . . sed Theologiae . . . dimidium possidere."

[2] C. 1. D. XXXVIII; Mansi. *Conc. Coll.* T. X. col. 626—627.

[3] C. 4. D. XXXVIII; Cfr. Carol. Sebastian. Berardi. *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*[2]. (Venetiis 1783) Pars. II. Tom. I. p. 250; Philipp. Jaffé. *Regesta Pontificum Romanorum.*[2] (Lipsiae 1885—1888) n. 371 (Ed. 1. n. 154).

[4] Cfr. Ben. XV: Constit. „*Providentissima Mater*" die festo Pentecostes 1917, qua novus Codex promulgatur, ubi in fine dicitur: „Ut autem omnes ad quos pertinet, probe perspecta habere possint hujus Codicis praescripta antequam ad effectum adducantur." Cfr. initium Codicis item in Epist. ad Petrum Card. La Fontaine d. 16 Julii 1917; *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 381—382; necnon in Epist. ad Andream Card. Ferrari d. 20 Dec. 1917; *Acta Ap. Sedis* X. (1918) p. 16. Vide etiam plura effata Ben. XV. huc pertinentia simul collecta apud Hilling in *Archiv f. Kath. Kirchr.*, Bd. 98 (1918) p. 442—445.

[5] Cfr. *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 439.

[6] Cfr. Scherer. *Hdb. d. Kath. Kirchr.* I. p. 114. IV; Wernz. *Jus. Decr.*[2] I. n. 62.

sanctitate participat[1]. Et quidem leges fundamentales juris canonici ab ipso Christo constitutae sunt; aliae, quae ab Ecclesia originem suam trahunt et disciplinam generalem respiciunt infallibili Ecclesiae magisterio nituntur, quatenus nihil contra fidem aut bonos mores statuere possunt[2]; caeterae omnes, licet pro elemento humano, quo etiam afficiuntur plus minusve opportunae aliquando dici possint[3], tamen semper bono spirituali Ecclesiae inserviunt et in salutem animarum proxime ordinantur[4]. Habent insuper studia canonica, uti omne studium juris, nonobstante difficultate aut ariditate materiae, propriam quandam delectabilitatem[5], et tamquam praeclaros fructus in cultoribus suis producunt maturitatem doctrinae et prudentiam actionis, quae ipsae insunt in legibus, quas exponunt[6]. Ingerunt denique reverentiam

---

[1] Cfr. SUAREZ. *De Leg.* L. IV. c. 8; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Proöem. § 3, n. 42; BEN. XV. in Epist. ad Petrum Card. La Fontaine. d. 16 Julii 1917, ubi Ecclesiam vocat legislatricem caritatis. *Acta Ap. Sedis* IX (1917) p. 169.

[2] Cfr. GUILELM. WILMERS. S. J. *De Christi Ecclesia.* (Ratisb. 1897) n. 258; VAN NOORT. *Tr. de Eccles. Christi*[3]. p. 99—101. n. 91; P. MANNENS. *Theologiae dogmaticae Institutiones*[2]. (Ruraemundae 1910 sq. I. n. 573; STRAUB. *De Eccles. Christi.* n. 895 sq; 902 sq; AEMILIUS DORSCH S. J. *Institutiones theol ogiae fundamentalis.* II. De Eccles. Christi (Oeniponte. 1914) p. 346.

[3] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 62; Cum hae leges, ut ait BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. 17 „in mutabili elemento etiam fundantur, videlicet in hominum conditionibus quae sunt diversae pro locorum, temporum ac aetatum varietate, inde ... sequitur eas ... mutationi etiam subjici, quamvis haec si frequenter fieret laudari minime posset." Cfr. etiam BLAT. l. c. p. 19; S. THOM. I. II. Q. 97. a. 2. c; et ULPIANUS in fr. 2. D. *De constitutionibus principum.* I. 4. ubi dicit: „In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu aequum visum est."

[4] Quamobrem S. Agatho Papa in c. 2. D. XIX dicit: „Sic omnes apostolicae sedis sanctiones accipiendae sunt, tanquam ipsius voce divina Petri firmatae." Ita S. Agatho a. 680, ut videtur in Concilio Romano. Cfr. AEMILIUS FRIEDBERG. *Corpus Juris Canonici.* (Lipsiae 1879—1881) I. in annotatione ad h. loc; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 2108 (Ed. 1. n. 1629); BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars. II. Tom. II. p. 158. Exaggerat vero MELCHIOR CANUS. *De loc. theolog.* L. VIII. c. 6. ubi dicit decreta SS. Pontificum Spiritu Sancto suggerente esse edita.

[5] Cfr. * JOAN. ANT. DE RIEGGER. *Oratio inauguralis de amoenitate studii juris ecclesiastici.* (Vindob. 1764); SCHENKL. *Instit. Jur. eccl.* I. § 62.

[6] Ita dicit PIRHING. *Jus Can.* I. Dedicatio: „Pontificia jura explicandi labor ... si difficultate ferreus est ... utilitate aureus." De aversione Lutheri contra studia juridica in genere et contra jus canonicum in specie cfr. K. KÖHLER. *Luther und die Juristen.* Gotha 1873; exinde uit ait ROD. STINTZING. *Geschichte der deutschen Rechtswissenschaft* (Leipzig 1880) I. p. 273—283, retentio facultatis canonicae in Universitatibus protestanticis ad tempus fuit periculo exposita.

et amorem erga Sanctam Dei Ecclesiam, quae per hoc suum jus non tantum sapienter proprios suos subditos regit, sed et oculos extraneorum in se convertit et ipsos suos adversarios ad sui admirationem perducit[1].

Tractatus II

De Fontibus Juris Canonici[2]

17. Notio fontis in genere. Nomen *fontis* ex ipsa rerum natura desumptum in scientificis duplicem praeprimis significationem habet. Indicat enim vel *originem existentiae* alicujus rei, quo in casu dicitur *fons existendi*, vel *originem cognitionis* alicujus rei, sive id, ubi objectum alicujus veritatis invenitur, quo in casu dicitur *fons cognoscendi*[3]. Et quidem si haec origo existentiae aut cognitionis primaria est, fons etiam dicitur primarius, si est derivata, fons etiam dicitur derivatus aut secundarius[4].

18. Notio et divisio fontis juris. Prae oculis habitis iis, quae n. praecedenti vidimus, in Jure, ubi de fontibus sermo est, distingui debent *fontes existendi juris* et *fontes cognoscendi juris*. Fontes *existendi juris* stricto sensu sunt causae efficientes legum, sive

[1] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 62. Vide etiam Allocutionem BEN. XV. 4. Dec. 1916. ubi i. a. dicit, publicationem Codicis Juris Canonici esse rem „tam magnam tamque Ecclesiae opportunam ut ejus gratia haec aetas apud posteros nobilis futura videatur." *Acta Ap. Sedis* VIII (1916) p. 465.

[2] Cfr. JACOB. ZALLINGER S. J. *Institutiones Juris ecclesiastici maxime privati.* In Ed. Romana a. 1832. Vol. II. p. 203 habetur Liber subsidiarius qui est isagogicus et principia ac fontes juris eccl. exhibet cum appendice de historia fontium. In Ed. Augustana Vindelicorum (Augsburg) a. 1791—1793 idem habetur in Volumine separato. Pars I; DOUJAT. *Praenot. Canon.*[4] L. I. c. 5. seqq.; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars II; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] Pars I. c. 2; CARDIN. GOUSSET. *Exposition des principes du Droit Canonique.* (Paris 1859) passim; SCHULTE. *Die Lehre von den Quellen des kanonischen Kirchenrechts* (Giessen 1860); PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 573 sqq.

[3] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* (Ed. Rom. 1832) II. p. 216; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 77; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 9. I; p. 129; LEOPOLD. FONCK S. J. *Wissenschaftliches Arbeiten.*[2] (Innsbruck 1916) Cap. 12. initio. JOS. BIEDERLACK S. J. *Jus ecclesiasticum privatum* (Romae 1909 ad usum privatum) § 1. Antea loco *fontis* dicebatur *principium.* Cfr. ZALLINGER l. c. Vide tamen ibid. p. 218. § XIV, ubi principia cognoscendi peculiariter fontes vocantur.

[4] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 9. I; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 78. II; FONCK. *Wissenschaftl. Arbeiten.*[2] Cap. 12. initio.

competentes legislatores, a quibus leges procedunt[1]; sensu latiori autem sunt ipsi actus legislatorum, quibus jus suum condunt. Quum vero hi actus quoad effectum perdurent, nonnunquam hi effectus vocantur fons juris, nempe jus conditum, in quantum in suo complexu considerari potest tamquam fons legum individuarum, quae in ipso continentur[2]. In hac latiori significatione fons juris a nobis potissimum sumitur in numeris, qui sequuntur.

Fontes *cognoscendi juris* sunt varia media per quae cognitio alicujus legis ad nos pervenit, v. g. documentum quoddam, monumentum, traditio oralis et sic porro[3]. Et quidem ipsi fontes existendi juris sub alio respectu etiam considerari possunt tamquam fontes cognoscendi juris, in quantum nempe simul sunt medium pro cognitione juris[4]. Potissimum vero sub nomine fontis cognoscendi juris veniunt variae sedes, varia loca et repertoria, ubi jus ipsum contentum aut simul collectum invenitur, v. g. documenta, libri, collectiones etc[5].

Praeter duplex hoc genus fontium in divisione principali assignatum, alia adhuc dantur genera fontium, qui minus proprie ita dicuntur, quia ipsum jus non constituunt, nec cognitionem ejus directe suppeditant, sed a) aut ad constitutionem ejus concurrunt, uti sunt *fontes exemplares*, qui exempla aut elementa praebent pro jure constituendo (cfr. infra n. 24) aut b) sensum ejus declarant, uti sunt *fontes interpretationis*, de quibus vide Can. 17 sqq. aut c) in deficientia juris constituti justam normam agendi praebent, uti habetur in *fontibus subsidiariis* aut *suppletoriis*, de quibus vide i. a. Can. 20[6]. In hoc ultimo casu nonnunquam constituunt verum

[1] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 14; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 77; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 12.

[2] Vocatur a nonnullis fons *essendi* juris, v. g. ab AICHNER-FRIEDLE. *Compend. Jur. eccl.*[11] § 8 et partim SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 42; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 311; vide etiam ibid. n. 312 et divisionem quoad a. et b. Ceterum, uti bene memorat auctor citatus, canonistae hic, ubi de denominatione fontium agitur, saepius promiscue loquuntur.

[3] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 11. VI; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 77 et n. 196. I.

[4] Cfr. LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 12; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 42.

[5] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 77 et n. 196. I; PRÜMMER. *Manuale jur. eccl.*[2] Q. 14. Auctores germani fontes existendi juris saepe vocant fontes *materiales;* fontes cognoscendi juris autem fontes *formales* cfr. v. g. LAEMMER. *Instit. d. kath. Kirchr.*[2] p. 12. Alii priores adhuc vocant fontes *constitutivos*, posteriores fontes *depositarios*. cfr. MAROTO in: *Commentarium pro Religiosis.* I (1920) p. 9 et 67 et in *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 312.

[6] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 313.

jus receptum et cessant tunc esse fontes mere subsidiarii, sed fiunt veri fontes existendi juris canonici, de quibus vide infra n. 20 et Pars I. Sectio III.

Hisce praemissis de fontibus *existendi* et *cognoscendi* juris canonici agemus, et quidem primo de fontibus *existendi* juris canonici, sive de causa juris canonici in se, dein de fontibus *cognoscendi* juris canonici, sive de causa juris canonici in nobis, h. e. in nostra cognitione.

Pars I

De Fontibus existendi juris canonici

19. Notio. Ex iis, quae in nn. praecedentibus 17 et 18 vidimus, colligitur nomine *fontis existendi* juris canonici stricto sensu venire causas efficientes legum ecclesiasticarum, sive competentes legislatores, a quibus hae leges procedunt; sensu autem latiori ipsum complexum legum ecclesiasticarum, quatenus sunt fons harum legum in individuo.

20. Divisio. Dividuntur hi fontes: a) ratione ORIGINIS in fontes *juris divini*, quod in tantum ad jus canonicum, quod est jus humanum (cfr. supra n. 2) pertinet, in quantum ab hoc proponitur et declaratur, et in fontes *juris mere humani*; b) ratione EXTENSIONIS in fontes *juris universalis* et *juris particularis*; c) ratione DEPENDENTIAE aut NON DEPENDENTIAE unius ab altero in fontes *primarios* et *derivatos*; d) ratione MODI, quo AD NOS PERVENIUNT in fontes *juris scripti* et *non scripti*[1].

Potissimum vero dividi possunt, saltem si sensu latiori sumuntur: e) ratione MODI, quo ECCLESIA eos nobis EXHIBET et quidem sub hoc respectu tria genera fontium distingui possunt. Etenim: 1) vel ab Ecclesia solummodo *proponuntur*, uti jus divinum, sive naturale, sive positivum; 2) vel ab Ecclesia ipsa *constituuntur*, uti habetur in legibus ab ipsa Ecclesia editis; 3) vel ab Ecclesia *recipiuntur*, uti obtinet in consuetudine legitima et in jure civili[2].

De singulis horum fontium speciebus secundum ultimam divisionem distinctis agemus.

---

[1] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 78; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 10. III; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 43 sqq.

[2] Cfr. *Institutiones Juris ecclesiastici* ad usum privatum alumnorum *Seminarii Warmundani* (Lugdun. Batav. 1903 sqq.) I. n. 6; PHILIPP. DE ANGELIS. *Praelectiones Juris Canonici* (Romae-Parisiis 1877 sqq.) I. Proleg. n. 2; F. DESHAYES. *Memento juris eccl.*[2] p. 2. n. 4. not. 4; FOURNERET in *Dict. de Théol. Cath.* in v. *Droit canonique* I.

Sectio I

De Fontibus ab Ecclesia propositis

Caput I

De Jure naturae

21. Natura hujus fontis. Quid sit jus naturae, supra (n. 2) jam vidimus. Causa efficiens hujus juris est voluntas Dei legifera necessaria, naturali rationis lumine hominibus manifestata. Et quidem, cum proprie sit fons juris divini, novo titulo tamen fit fons juris canonici eo, quod ab Ecclesia *proponitur* (Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. *de matrimonio.* Can. 2; Codex. Can. 1013 § 2) *explicatur* (Cfr. Conc. Trid. Sess. XIII. *de Eucharistia.* Cap. 7; Codex. Can. 856) aut accuratius *determinatur* (Cfr. Conc. Trid. Sess. VI et XXIII. *de ref.* c. 1: Codex. Can. 338, 465) et maxime quidem, ubi hoc fit in materia Juri Canonico omnino propria, v. g. in quibusdam impedimentis matrimonialibus (Cfr. Can. 1068)[1]. Ulterius adhuc dici potest fons juris canonici: 1) in quantum est *conditio* necessaria pro vi obligatoria legum ecclesiasticarum, quia hae eatenus tantum ligare possunt, in quantum connaturaliter praesupponunt, Deo, qui auctoritatem ecclesiasticam constituit, esse obediendum (Cfr. supra n. 3 p 11. not 3.)[2]; 2) in quantum est *norma* legum ecclesiasticarum, a qua ecclesiastica auctoritas discedere nequit, quia humanae leges non possunt contra jus divinum obligare[3]; 3) in quantum praebet *principia*, per quae conclusiones legitimae ex aliis placitis et institutis canonicis eruuntur (Cfr. passim Conc. Trid. v. g. Sess. VI. *de ref.* c. 1,

[1] Cfr. Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 81; Maroto. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 315; Blat. *Comment. Text. Cod.* I. p. 15—16.

[2] Cfr. S. Thom. I. II. Q. 93. a. 3; S. August. *De libero arbitrio.* L. I. c. 6. (Migne. P. L. T. 32. col. 1229); Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 81; Laemmer. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 13. Cfr. etiam Prop. 56. damnat. in Syllabo Pii IX; „Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant."

[3] Cfr. dict. Grat in fine Dist. IX: „Constitutiones ergo vel ecclesiasticae vel saeculares, si naturali juri contrariae probantur, penitus sunt excludendae." S. Thom. I. II. Q. 95. a. 2; Leo XIII. Encycl.: „*Libertas*" 20 Jun. 1888, ubi dicit: „Humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi juris contineatur." *Acta Leonis XIII.* Vol. VIII p. 227; Blat. *Comment. Text. Cod.* I. p. 19.

et Codex passim, v. g. Can. 336 sqq.)[1] Ita v. g. probata semel constitutione Ecclesiae in modum societatis perfectae per provocationem ad jus naturale varia jura inde deduci possunt, quae Ecclesiae competunt, quatenus est societas perfecta[2].

22. Errores vitandi. Duo errores hic sunt vitandi[3]. Primo cavendum est, ne per *excessum* plus aequo rationi tribuatur, uti illi faciunt, qui non satis attendentes ad positivam institutionem Ecclesiae, ejus jura nimium ex ratione deducere volunt[4] et ita jura ex divina constitutione Ecclesiae ipsi competentia haud raro e medio tollunt. Cfr. quae supra n. 5. vidimus de positiva institutione Christi quoad indolem Ecclesiae. Ex alia parte vero curandum est, ne quis per *defectum* nimis deprimat jus naturae, uti illi faciunt, qui plus minusve adhaerentes Positivismo sive juridico, sive historico (cfr. supra n. 3. ad 2. et 5) nullum usum hujus fontis admittunt et omnem applicationem juris naturalis ad jus positivum, aut saltem ad jus canonicum rejiciunt[5]. Secundum ipsos enim jus naturae non esset norma positiva; sed quidem est norma positiva, non quasi ex libera voluntate Dei oriatur (cfr. supra n. 2) sed quia jura determinata continet, naturali rationis lumine hominibus sufficienter manifestata[6].

---

[1] Cfr. S. THOM. I. II. Q. 95. a. 2; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 81; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. p. 16.

[2] Cfr. SUAREZ. *De Leg.* L X. c 2. n.7, 8; AICHNER-FRIEDLE. *Compend. Jur. eccl.*[11] § 12. 1; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 316. Jure etiam DE LUGO. *Tr. de virtute fidei divinae.* Disp. XIX. n. 43 ex praecepto positivo Christi praedicandi ubique Evangelium derivat, jus Ecclesiae praedicandi hoc Evangelium sine molestatione principum saecularium, in radice quidem esse positivum, formaliter tamen et proxime esse naturale. Cfr. etiam SUAREZ. *Defensio Fidei catholicae* L. IV. c. 4. n. 5. sqq. quoad exemptionem R. Pontificis ab omni jurisdictione civili.

[3] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 40; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 81 in fine.

[4] Ita v. g. * SCHMALZ. *Natürliches Kirchenrecht* (Königsberg 1795); * KRUG. *Kirchenrecht nach den Grundsätzen der Vernunft* (Leipzig 1826) et etiam auctor catholicus (sed Hermesianus) V. DROSTE-HÜLSHOFF. *Grundsätze des gemeinen Kirchenrechts.* I.[2] (Münster 1832), citati apud VERING. *Lehrb. d. Kirchenr.*[3] § 4. not. 2.

[5] Ita WALTER. *Lehrb. d. Kirchenr.*[14] p. 6. not. 2; VERING partim in *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 4. II in fine et in *Kirchenlexikon.*[2] VII. col. 630. in v. *Kirchenrecht*; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 9—10. not. 3. et not. 4. in fine; p. 21—22. not. 1; p. 114. not. 3; p. 129. not. 2; SCHULTE. *Lehre v. d. Quell.* I § 10.

[6] Cfr. LAURENTIUS. *Instit. Jur. eccl.*[3] n. 11. Vide etiam CATHREIN. *Moralphilosophie*[5]. I. p. 544 sqq.; 547 not. 2; 564 sqq. et *Recht, Naturrecht u. posit. Recht*[2]. p. 152. sqq. et p. 277 sqq.

23. Usus hujus fontis. Quod ad usum hujus fontis attinet, recte hae regulae traduntur:

1. Non potest invocari jus naturae ad probandam constitutionem et formam regiminis Ecclesiae, quippe quae a sola positiva ordinatione Christi dependeant, quae non ex jure naturae sed ex Traditione et S. S. Litteris nobis patescit.

2. Probato vero semel quodam instituto juridico ex positiva ordinatione Christi, v. g. probata semel constitutione Ecclesiae in modum societatis perfectae et forma regiminis in ipsa divinitus instituta, recte ope juris naturalis varia corollaria inde deduci possunt. Ita ex institutione Primatus Romani Pontificis causa servandae unitatis in Ecclesia merito inferri potest, omnem illam potestatem exinde divinitus SS. Pontifici esse tributam, quae ad conservandam hanc unitatem requiritur, quia Deus volendo finem dat etiam jus ad media pro fine obtinendo necessaria.

3. In iis, quae ad praecepta moralia et justitiam naturalem pertinent jus naturae erit lex, ad quam in judiciis et negotiis ecclesiasticis recurrendum erit, ubi leges positivae deficiunt[1].

Caput II

De Jure divino-positivo

24. Jus Veteris Legis. Jus Veteris Legis, quod Deum habuit auctorem, Moysen vero promulgatorem tantum ac ministrum[2], partim praecepta juris naturalis continebat, novo modo promulgata, partim praecepta positiva particularia populo Judaico tantum imposita[3]. Praecepta haec communiter dividuntur in praecepta moralia, caeremonialia et judicialia[4]. Finis praeceptorum

---

[1] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl*[10]. § 40; DUBALLET. *Cours .... de Droit can.* III. n. 1869; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars IV. initio; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 81 et in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XI (1887) p. 378 sqq. Vide etiam passim DEVILLE. *Le Droit Canon et le Droit naturel* (Lyon 1880) p. 109 sq.

[2] Cfr. S. THOMAS. I. II. Q. 98. a. 2 et 6; SUAREZ. *De Leg.* L. IX. c. 2. n. 3 et 10; GUILELM. WILMERS S. J. *De Religione revelata* (Ratisbonae 1897) p. 176 sq. p. 188. De jure revelationis primaevae et patriarchalis praesupposito et implicite contento in lege Mosaica cfr. SUAREZ. *De Leg.* L. IX. c. 1. coll. c. L. IV. c. 2; WILMERS. l. c. p. 186.

[3] Cfr. S. THOMAS. I. II. Q. 98. a. 4; SUAREZ. *De Leg.* L. IX. c. 5. n. 7. sq.; WILMERS. *De relig. revelata.* p. 191 sq.

[4] Cfr. Deut. VI. 1; S. THOMAS. I. II. Q. 99—105 incl.; SUAREZ. *De Leg.* L. IX. c. 3. n. 7. sq.; PHILLIPS. *Kirchenrecht* III. p. 592; WILMERS. *De relig. revelata.* p. 193.

particularium tantum fuit transitorius, h. e. praeparare populum Judaicum ad adventum Messiae; quare in Ipsius adventu et proprie quidem in morte Ipsius, quando velum templi scissum est[1], teste Sacra Scriptura et Traditione abrogata sunt[2]. Et ita jus veteris Legis non amplius viget, saltem non vi promulgationis Mosaicae[3], sed tantum, in quantum quoad materiam fuit simul jus naturae aut in quantum quoad jus positivum particulare fuit ab Ecclesia assumptum, quo in casu factum est merum jus humanum, etsi ad exemplum juris divini antiqui constitutum[4].

Huc inter alia referri debet lex apostolica transitoria et localis a Jure Veteri desumpta de abstinentia ab idolothytis, sanguine et suffocato[5]. Ita etiam plura, quae respiciunt cultum divinum, uti dedicationes templorum, usus thuris et vestimentorum sacrorum, cantus psalmorum et hymnorum, aut quae sese referunt ad privilegia et immunitates ministrorum sacrorum, uti jus decimarum (Cfr. Can. 1502), ad irregularitates et alia hujusmodi sunt ab Ecclesia ad exemplum Veteris Legis constituta[6].

[1] Matth. XXVII. 50—51.

[2] Cfr. v. g. Matth. XXI. 43; Jo. IV. 21. 24; Act. Ap. XV. 5. sq.; 28, 29; Gal. III. 24, 25; Hebr. VI. 12. sq.; VIII. 8—13; S. Thomas. I. II. Q. 103. a. 3 praecipue ad 3; Q. 104. a. 3; Suarez. *De Leg.* L. IX. c. 10—13; Billot. *De Eccles. Christi*[4]. Pars I. Thesis I. p. 67. sq.

[3] Cfr. c. un. X. *de purificatione post partum.* III. 47, ubi Innocentius III docet mulieres post partum ab ingressu ecclesiae non esse arcendas; Conc. Trid. sess. XXIV. *de matrim.* can. 3. de gradibus consanguinitatis et affinitatis, in Levitico expressis et in nova Lege abolitis. Vide etiam Decr. S. C. S. Off. 20 Juni. 1866. reprobans ritum circumcisionis tamquam ex religione debitum in: *Collectanea S. C. de Prop. Fide* (Romae 1907) I. n. 1293 X; Bened. XIV. Const. „*Ex quo*" 1 Mart. 1756. § 61. sq. ubi etiam anteriora testimonia afferuntur v. g. Concil. Florentini (a. 1439) in Decreto pro Jacobitis et Urbani VIII in professione fidei Orientalibus praescripta.

[4] Cfr. Schmalzgrueber. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 95; Joann. Devoti. *Institutionum canonicarum. Libri IV*[3]. (Gandae 1836) I. § 33; Bouix. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars I. Sectio I. c. 4; Soglia-Vecchiotti. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] §16; Scherer, *Hdb. d. Kirchr.* I p. 179 III.

[5] Cfr. Act. Ap. XV. 29; S. Thomas. I. II. Q. 103. a. 4. ad 3; Suarez. *De Leg.* L. IX. c. 20. n. 7, 8, 13, 14; Bened. XIV. Const. „*Ex quo*" 1 Mart. 1756. § 61; Christian Pesch S. J. *Praelectiones dogmaticae.* V. (Friburgi 1908) n. 536; Billot. *De Eccles. Christi*[4]. Pars I. Thesis I. p. 89—92.

[6] Cfr. Soglia-Vecchiotti. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 16; Wilmers. *De relig. revelata.* p. 493 sq. Praesertim in materia judiciali plura olim ab Ecclesia ex Veteri Lege assumpta erant; cfr. v. g. C. 1 et 3. X. *De homicidio voluntario vel casuali.* V. 12; c. 1 et 2. X. *De adulteriis et stupro.* V. 16; c. 1. X. *De furtis.* V. 18; c. 1—5. X. *De injuriis et damno dato.* V. 36. Cfr. etiam c. 13. X. *Qui filii sint legitimi.* IV. 17; c. 24. X. *De accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.* V. 1, ubi Innocentius III

Quae autem a Christo Domino assumpta sunt ex jure Veteris Legis non erant praecepta positiva particularia, sed praecepta juris naturalis a Christo de novo confirmata aut ad majorem perfectionem adducta[1], demptis insuper dispensationibus in Veteri Testamento aliquando concessis, uti accidit in lege de unitate et indissolubilitate Matrimonii a Christo ad institutionem primaevam revocata[2].

25. Jus Novae Legis. Jus divinum novae Legis, quod a Christo et ab Apostolis Spiritu Sancto inspirante constitutum est, continetur in S. Scriptura Novi Testamenti et in divina Traditione[3]. In hoc jure divino positivo constitutio Ecclesiae, quod est regnum spirituale Christi, adumbratur et fines potestatis ecclesiasticae designantur[4]. Nova praecepta moralia ultra jus divinum naturale inibi non continentur[5], sed quidem quaedam consilia a Christo data, sive simpliciter proposita, uti sunt tria, quae dicuntur consilia evangelica, sive pro casibus particularibus proposita, uti habetur in perfectiori dilectione inimicorum[6]. Ad constitutionem Ecclesiae etiam reducuntur leges cultus a Christo datae, quae unice versantur circa Sacramenta et circa sacrificium Eucharisticum[7];

---

amat ad exemplum Veteris Legis statuere aut exponere canonicas sanctiones. Quin imo in cap. 24 ultimo loco hic citato, ita incipit Innocentius III: „Qualiter et quando debeat praelatus procedere ad inquirendum et puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris et novi Testamenti colligitur evidenter, ex quibus postea processerunt canonicae sanctiones."

[1] Cfr. S. Thomas. I. II. Q. 107 passim v. g. a. 2. c. et ad 1 et 4; a. 4. c; Q. 108. a. 1. c. in fine; a. 2. c.; Suarez. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 3, 5, 13; Schmalzgrueber. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3 n. 95 et 105.

[2] Cfr. Matth. V. 31, 32; XIX. 3—9; c. 8. X. *De divortiis.* IV. 19; Bened. XIV. Const. *Apostolici.* 16 Sept. 1747; S. Thomas. Suppl. Q. 67. a. 1; Wernz. *Jus Decr.*[2] IV. Pars I. n. 30.

[3] De Traditione, ut est fons juris, sive divini sive humani, agemus in appendice post Section. II. c. 1, ubi de jure apostolico et quasi-apostolico, ad quod jus traditum communiter referri debet, sermonem instituemus.

[4] Cfr. Suarez. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 2; Zallinger. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 5. § 61; Aichner-Friedle. *Compend. Jur. eccl.*[11] § 9. n. 2.; Scherer. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 22. coll. c. § 8. I, ubi tamen in textu et in not. 1. corrigi debent ea, quae immerito carpit in usu juris naturalis. Cfr. supra n. 22 et not. 5.

[5] Cfr. S. Thomas. I. II. Q. 108. a. 1. c. in fine; a. 2. c. in fine; Suarez. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 3, 5, 11, 13; Schmalzgrueber. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 104—106.

[6] Cfr. S. Thomas. I. II. Q. 108. art. 4. c. et ad 4; II. II. Q. 186. art. 2. ad 3; Pègues. *Comment.* IX. p. 499.

[7] Cfr. S. Thomas. I. II. Q. 108. a. 2. c. et ad 2; Suarez. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 16; Schmalzgrueber. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 107—109; Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 87.

reliqua, quae in bonum Ecclesiae constituenda essent, non ab ipso Christo constituta sunt, sed ordinanda relicta sunt auctoritati Ecclesiasticae[1], quae ab Ipso plenissima potestate instructa est regendi suam Ecclesiam[2]. Eidem auctoritati quoque inviolabiliter custodiendum[3] et interpretandum traditum est quidquid in S. Scripturis et in divina Traditione continetur, non tantum quod ad dogmata attinet, sed etiam quod ad jura.

Advertendum tamen est, in Jure Novae Legis non tantum inveniri jus positivum divinum, sed etiam jus humanum, in quantum nempe Apostoli praeter ea, quae a Domino acceperunt et tradiderunt[4], aut quae sub inspiratione Spiritus Sancti auctoritate divina ipsi statuerunt[5], alia quaedam auctoritate humana condiderunt, ut Pastores Ecclesiae[6] et quidem Ecclesiae universalis[7]. De hoc jure humano-apostolico in Sectione sequenti Cap. I et in Appendice ibidem agemus.

---

[1] Cfr. S. THOMAS. I. II. Q. 108. a. 1. c. in fine; SUAREZ. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 17; SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 100 et n. 107—108.

[2] Cfr. BILLOT. *De Eccles. Christi*[1]. Thesis XX. p. 435 sq.; SUAREZ. *De Leg.* L. X. c. 2. n. 2; SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 100, qui hic, ut saepius, Suarez transscribit.

[3] Cfr. c. 6. C. XXV. Q. 1, qui canon, etsi adscribitur Papae Urbano, probabilius tamen abjudicari debet Urbano I et dubie tantum adscribi potest Urbano II. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 96 et Tom. II, p. 378; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. 1; HINSCHIUS. *System. d. Kath. Kirchr.* III. p. 730. not. 6.

[4] Cfr. I Cor. VII. 10; XI. 13.

[5] Cfr. I Cor. VII. 12 sqq.

[6] Cfr. SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 101—103; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 18; ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 5. § 66; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars I. c. 4 in fine.

[7] Singuli Apostoli pro munere suo praedicandi Evangelium et fundandi Ecclesias in toto orbe terrarum a Christo acceperunt potestatem quandam universalem, Petri tamen potestati subordinatam. De indole hujus potestatis cfr. S. ALPHONSUS. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter.) I. p. 297 (Tr. III. De fidei veritate. Pars 3. c. 7); p. 395—398 (Tr. IV. Adversus Febronium. C. 1 et 2) p. 429 sqq. (ibid. c. 7); BELLARMINUS. *De Controv.* T. I. Controv. 3. De Summo Pontifice. L. I. c. 9 ad obj. 2 et 4; L. IV. c. 23; BILLOT. *De Eccles. Christi.*[4] Thesis. XXVI. p. 543 sq.; VAN NOORT. *De Eccles. Christi.*[3] n. 57, 58; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 91. Cfr. etiam LEO XIII. Encycl. „*Satis cognitum*" 29 Jun. 1897; *Acta Leonis XIII.* Vol. XVI. p. 157; vide ibid. p. 198, 199. De subordinatione potestatis S. Pauli potestati S. Petri vide Decr. S. C. S. Offic. 24 Jan. 1647; HENRIC. DENZINGER-BANNWART. *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*[11] (Friburgi 1911) n. 1091 (antea n. 965) p. 340.

Sectio II

De Fontibus ab Ecclesia constitutis

26. Divisio. Fontes ab Ecclesia constituti ratione EXTENSIONIS dividuntur in fontes *juris communis* et fontes *juris particularis* (Cfr. supra n. 20).

27. Fontes juris communis. Fontes juris communis tres enumerantur, scil: *jus humano-apostolicum, jus conciliorum oecumenicorum* et *jus pontificium.*

28. Fontes juris particularis. Fontes juris particularis plures enumerantur. Et quidem ipsi fontes juris communis etiam jus particulare continere possunt, puta cum R. Pontifex edit legem particularem pro aliquo regno aut pro aliqua provincia ecclesiastica, vel si concordatum init cum aliqua Natione, aut si concedit privilegia, indulta et sic porro. Attamen praeter fontes juri communi etiam proprios, alii adhuc dantur fontes, qui unice jus particulare condere possunt, uti sunt v. g. Statuta Conciliorum particularium, statuta synodalia aut extra-synodalia Praesulum Romano Pontifice inferiorum, statuta Institutorum religiosorum aut earum Corporationum, quae quoad res sibi proprias quadam autonomia fruuntur, uti sunt Capitula, Universitates et Confraternitates.

Agemus hic tantum pro scopo nostro de fontibus juris communis, cum fontes juris particularis melius iis in locis exponantur ubi Codex de iis in specie agit; v. g. in Can. 3 agit de Concordatis; Can. 36 sqq. de Rescriptis; Can. 63 sqq. de Privilegiis; Can. 80 sqq. de Dispensationibus; Can. 281 sqq. de statutis Conciliorum particularium; Can. 356 sqq. de statutis synodalibus; Can. 410 sqq. de statutis Capitularibus; Can. 487 sqq. et in specie Can. 489 de jure Religioso tam communi quam particulari; Can. 689 de statutis associationum fidelium et sic porro[1].

---

[1] Cfr. interea v. g. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 5. V; § 29—33; § 37—39; AICHNER-FRIEDLE. *Compend. Jur. Eccl.*[11] § 11; VERING. *Lehrb. d. ... Kirchr.*[3] § 59; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 20—23; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 25—27; PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] Cap. 3; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 93—94; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 372—376.

Caput I

De Jure apostolico et quasi-apostolico

29. Notio juris apostolici et quasi-apostolici. Nomine *juris apostolici* venit jus, quod ab Apostolis statutum est, quodque invenitur in Actibus Apostolorum et in Epistolis Novi Testamenti necnon in Traditione. Jus *quasi-apostolicum* est jus, quod a prioribus successoribus Apostolorum fuit statutum et dein in Ecclesia universali stabilitum, ita ut speciem prae se ferat juris apostolici[1].

30. Divisio juris apostolici. Jus apostolicum dividitur, ut supra (n. 25) vidimus, in jus *divino-apostolicum* et jus *humano-apostolicum*[2].

Jus *divino-apostolicum* est jus, quod ab Apostolis datum est non auctoritate propria seu humana, sed auctoritate divina, seu in quantum erant organa Spiritus Sancti; quare hoc jus, etsi ab Apostolis datum, tamen de sua notione est jus divinum et ita inter fontes ab Ecclesia *propositos*, non *constitutos* recenseri debet. Tamquam exemplum allegari potest privilegium, quod dicitur Paulinum quoad dissolutionem Matrimonii in favorem fidei (I Cor. VII. 12 sqq.) etsi alii aliter hoc jus explicare student[3].

Jus *humano-apostolicum* est jus, quod ab Apostolis datum est auctoritate humana, in quantum erant Pastores Ecclesiae. Tamquam exempla allegari possunt lex apostolica transitoria et localis in Concilio Hierosolymitano data de abstinentia ab idolothytis, sanguine et suffocato (Act. Ap. XV. 29; cfr. supra n. 24)[4] necnon variae praescriptiones positivae a B. Paulo assignatae pro candidatis ad Ordinationem (cfr. I. Tim. III; Tit. I. 5 sqq.)[5].

---

[1] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 18—19; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars II. Sectio I. c. 3. § 1; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 323—325; 355.

[2] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 18—19; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 324; 355. BIEDERLACK. *Jus eccl. priv.* p. 4, 5.

[3] Cfr. hic WERNZ. *Jus Decr.*[2] IV. n. 702. not. 60; GASPARRI. *Tractatus canonicus de Matrimonio* (Paris 1891) II. n. 1084. Vide etiam S. ALPH. *Theol. Mor.* L. VI. n. 955 n. 2; BENED. XIV. *De Synod. dioec.* L. VI. c. 4. n. 3; Decr. S. C. S. Off. 11 Jul. 1866 in: *Collect. S. C. de Prop. Fide* (Romae 1907) I. n. 1295.

[4] In quantum erat lex localis, hoc jus apostolicum non erat jus commune, sed jus particulare, quamvis in genere jus apostolicum ad fontes juris communis referri debeat.

[5] Cfr. PIRHING. *Jus Can.* I. n. 13; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 18; SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 3. n. 101—103, ubi tamen exemplum ex I. Cor. VII. 12 non proprie ad jus apostolicum mere humanum referri debet.

Duplex hoc jus apostolicum, divinum dico et humanum, non tantum distingui potest et debet in Actibus Apostolorum et in Epistolis Novi Testamenti sed etiam in Traditione, de qua nunc in appendice agemus. De auctoritate autem juris apostolici et quasi-apostolici in genere, eadem valent ac quae ibi de auctoritate traditionum apostolicarum et quasi-apostolicarum dicemus.

Appendix de Jure Tradito

31. Notio Traditionis. Nomine *Traditionis* in Jure veniunt doctrinae, praescriptiones et praxes Christi et Apostolorum vel etiam primitivae Ecclesiae pastorum in Ecclesia stabilitae, quae a primis auctoribus non scripto sed oretenus tantum fuerunt propositae[1]. *Materia* Traditionis sunt ipsa dogmata, facta, ritus et jura; *forma* vero consistit in testimonio, professione et usu talis dogmatis, ritus aut juris[2]. Continetur autem traditio, magis ut fons cognoscendi juris, in variis documentis et monumentis, uti sunt acta et decreta Conciliorum, opera SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, historia et archaeologia ecclesiastica et insuper, quod ad dogmata et ritus potissimum attinet, symbola et fidei professiones, libri liturgici et alia id genus[3].

32. Divisio. Traditiones dividuntur in *divinas* et *humanas*[4]. *Divinae* sunt, quae „ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt"[5]. Quae a Christo primitus sunt traditae vocantur traditiones *dominicae*, sive *divinae simpliciter* quae ab Apostolis Spiritu Sancto dictante primitus fuerunt propositae,

[1] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 31; JOANN. BAPT. (Card.) FRANZELIN S. J. *Tractatus de divina Traditione et Scriptura* (Romae-Taurini 1870) p. 11 sq.; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars II. Sectio I. c. 2 II; PETR. DE BRABANDERE. *Juris Canonici et Juris Canonico-civilis compendium.* Ed. 7. curante C. VAN COILLIE (Brugis 1903) I. p. XII.

[2] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 36 et § 60; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 198.

[3] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 60; FRANZELIN. *Tr. de div. Trad. et Script.* p. 127 sq.; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 198 coll. c. n. 185.

[4] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 38; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 19; BRABANDERE-COILLIE. *Jur. Can. ... comp.*[7] p. XII; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 185.

[5] Ita Conc. Trid. Sess. IV. *Decretum de canonicis Scripturis*; cfr. etiam Conc. Vatic. Sess. III. c. 2.; SCHNEIDER. *Fontes jur. eccl. novissimi.* p. 9.

vocantur traditiones *divino-apostolicae*[1]. Ambae hae traditiones, utpote constituentes jus divinum, pertinent ad fontes ab Ecclesia *propositos*, non *constitutos*[2].

Traditiones *humanae* sunt eae, quae sive ab Apostolis, humana tantum auctoritate, oretenus sunt propositae, sive a primis Ecclesiae Patribus vel Pastoribus, ita tamen, ut in Ecclesia universali fuerint stabilitae et ut sic speciem prae se ferant juris apostolici. In priori casu vocantur traditiones *humano-apostolicae*; in altero traditiones *paternae*, *ecclesiasticae* aut *quasi-apostolicae*[3].

Exempla varia afferuntur, etsi quidem difficile aut forte impossibile nonnunquam sit, discernere, quaenam traditiones certo sint dominicae, quaenam divino-, quaenam humano-apostolicae, quaenam tandem sint quasi-apostolicae sive ecclesiasticae[4]. Ita v. g. — ut de illis traditionibus taceam, quae magis ad dogmata sese referunt — sanctificatio diei Dominicae loco sabbati a nonnullis pro traditione divino-apostolica aut etiam

---

[1] Cfr. FRANZELIN. *Tr. de div. Trad. et Script.* p. 13; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 86; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] p. 43.

[2] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars II. Sectio I. c. 2 in fine.

[3] Cfr. ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 49—51; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 185 II et n. 198 not. 19; FRANZELIN. *Tr. de div. Trad. et Script.* p. 11, p. 13—15; S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 482. n. 59. (Tr. V. Conc. Trid. Disp. I. § 8); GULIELM. BAUDUIN. *De Consuetudine in Jure Canonico* (Lovanii 1888) p. 5; Traditiones ecclesiasticae sive paternae vocantur etiam *veterum regulae*; cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 604—605, qui ibid. etiam ad varios fontes pro variis hisce nominibus remittit.

[4] Criterium proximum et de se sufficiens discernendi traditiones divinas et humanas est magisterium Ecclesiae sive sollemne sive ordinarium, aliquid tamquam ex divina aut ex humana traditione ortum, actu docens vel exercens. Criterium remotum habetur partim in ipsa traditionis materia, partim in testimonio unanimi SS. Patrum. Sed de hisce ex professo agunt dogmatici. Cfr. S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 485, 486 (Tr. V. Conc. Trid. Disp. I. § 9, 10); FRANZELIN. *Tr. de div. Trad. et Script.* p. 16—17 et p. 28 sq. Vide etiam SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 20. Huc refer verba notissima S. AUGUSTINI in Libro *de Baptismo contra Donatistas.* L. II. c. 7. n. 12, ubi loquens de consuetudine Ecclesiae non iterandi Baptismum ab haereticis collatum dicit: „Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem (sicut multa, quae non inveniunter in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur") (MIGNE. P. L. T. 43. col. 133); item haec alia verba ejusdem Doctoris ibid. L. IV. c. 24. n. 31: „quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur" (MIGNE. P. L. T. 43. col. 174).

dominica habebatur[1]; observatio jejunii quadragesimalis uti et tempus celebrandi Pascha saepius traditioni humano-apostolicae adscribuntur[2]; tandem observatio abstinentiae a carne, signum crucis et alia hujusmodi a multis ad traditiones ecclesiasticas reducuntur[3].

33. Auctoritas Traditionis. Traditiones *divinae*, sive *dominicae*, sive *divino-apostolicae* absoluta utique gaudent auctoritate easque Ecclesia una cum S. Scriptura „pari pietatis affectu suscipit ac veneratur"[4] nec eas abolere potest[5].

Traditiones *humanae* vero per se subjacent Ecclesiae potestati; pertinent enim ad fontes ab Ecclesia ipsa *constitutos*. Quamobrem eas abolere aut immutare posset[6]; attamen de facto in tali veneratione ab Ecclesia habentur, ut vix unquam iis derogetur[7]. Quod quidem maxime valet de traditionibus *humano-apostolicis*, quas S. S. Patres cum *divinis* traditionibus fere confundunt[8].

---

[1] Auctores cfr. apud S. ALPH. *Theol. Mor.* L. III. n. 265, qui tamen jure ab illis una cum S. THOMA II. II. Q. 122. a. 4. ad 4. recedit.

[2] Quoad jejunium Quadragesimale cfr. S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 482. n. 59; (Tr. V. Conc. Trid. Disp. I. § 8); FERRARIS. *Prompta Biblioth.* . . i. v. „Traditio" n. 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 601 sq.; BOUIX. *Tr. de Princ. Jur. Can.* Pars I. Sectio I. c. 4. n. 3; Pars II. Sectio I. c. 2. II et c. 3. VI. Vide vero F. X. FUNK. *Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen* (Paderborn 1897—1907). I. p. 241 sq. ubi initium jejunii Quadragesimalis adscribit Saec. III. Vide ibid. p. 278. Quoad tempus celebrandi Pascha cfr. DIONYS. PETAVIUS S. J. *De Ecclesiastica Hierarchia.* L. I. c. 1. n. 12; ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. I. c. 4. § 41; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 185. III; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hbd. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 250—251.

[3] Pro abstinentia a carne cfr. FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. „Traditio" n. 3. et partim S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 482. n. 59. (Tr. V. Conc. Trid. Disp. I. § 8). Quoad signum crucis vide c. 5. D. XI. Desumptus est ex Libro S. BASILII *de Spiritu Sancto*; MIGNE. P. G. T. 32. col. 187—188. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars. III. p. 39—40.

[4] Ita Conc. Trid. Sess. IV. *Decretum de canonicis Scripturis.*

[5] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 20 in fine; BRABANDERE-COILLIE. *Jur. Can. . . . comp.*[7] p. XIII.

[6] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 20; BRABANDERE-COILLIE. *Jur. Can. . . . comp.*[7] p. XIII; ZALLINGER. *Instit. Jur. eccl.* Lib. subsid. c. 4. § 49—50; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 604—605.

[7] Cfr. verba S. Leonis Pap. in C. 10. D. XI et verba S. Hieronymi in C. 4. D. XII. Item S. Nicolaus I scribit ad Hincmarum Archiep. Rhemensem in C. 5. D. XII: „Ridiculum est et satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur." Vide hic BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 287; Pars II. Tom. II. p. 249; Pars III. p. 160; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 602—605.

[8] Ita v. g. S. Leo. M. de jejunio quadragesimali in Serm. IV. de Quadragesima. c. 1. (MIGNE. P. L. T. 54. col. 275) et de jejunio IV. Temporum

34. Nota. Ex iis, quae de jure *apostolico* et *quasi-apostolico*, necnon de *traditionibus* vidimus, sequitur, non omne jus apostolicum, neque omne jus traditum ad fontes ab Ecclesia *constitutos* pertinere, sed tantum jus *apostolico-humanum*, sive in Sacra Scriptura Novi Testamenti inveniatur, sive in Traditione, et insuper jus *quasi-apostolicum*, quod unice in Traditione invenitur.

Caput II

De Jure Conciliorum Oecumenicorum

35. Concilia Oecumenica. Ad exemplum Apostolorum (Act. Ap. XV 6. sqq; 25. 28) pastores Ecclesiae saepius decursu saeculorum collegialiter. h. e. in synodis, sive conciliis adunati, ordinationes pro regimine Ecclesiae condiderunt. Inter haec Concilia viginti, uti ex Historia Ecclesiastica necnon ex S. Theologia constat, numerantur Concilia Oecumenica, scil: 1. *Nicaenum* I (a. 325); 2. *Constantinopolitanum* I (a. 381); 3. *Ephesinum* (a. 431); 4. *Chalcedonense* (a. 451); 5. *Constantinopolitanum* II (a. 553); 6. *Constantinopolitanum* III (a. 680); 7. *Nicaenum* II (a. 787); 8. *Constantinopolitanum* IV (a. 869); 9. *Lateranense* I (1123); 10. *Lateranense* II (a. 1139); 11. *Lateranense* III (a. 1179); 12. *Lateranense* IV (a. 1215); 13. *Lugdunense* I (a. 1245); 14. *Lugdunense* II (a. 1274); 15. *Viennense* (a. 1311); 16. *Constantiense* (a. 1414—1418) sed tantum in ultimis sessionibus quibus praesedit Martinus V necnon quoad decreta quaedam anteriora a Martino V approbata[1]; 17. (*Basileense*) *Ferrariense-Florentinum* (a. 1438—1442); 18. *Lateranense* V (a. 1512—1517); 19. *Tridentinum* (a. 1545—1563); 20. *Vaticanum* (a. 1869—1870)[2].

---

in Serm. VIII. de jejunio decimi mensis. c. 2. (MIGNE ibid. col. 186). Item S. Cyprianus quoad consuetudinem scrutinii ordinandorum in Epist. 68 ad Clerum et plebes in Hispania consistentes, quae epistola invenitur in Concilio quod vocatur Carthaginense IV, habito sub S. Cypriano circa a. 254. Cfr. MIGNE. P. L. T. 4. col. 400 coll. cum T. 3. col. 1019, 1021 et 1027 sub verbis: „Propter quod diligenter." Vide etiam MANSI. *Conc. Coll.* T. I. col. 905 et not. 1; col. 906 et 908 sub verbis iisdem: „Propter quod diligenter"; insuper HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 171—172 et I. 2. p. 1106.

[1] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist d. Conc.* I. 1 p. 80—83; KNÖPFLER. *Lehrb. d. Kirchengesch.*[6] § 39; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] III p. 144; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église* V. p. 140. not. 6.

[2] Cfr. BELLARMINUS. *De Controv.* T. II. Controv. 1. De Concil. et Ecclesia L. I. c. 5; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 79—80. Vide etiam c. 8. D. XVI et HEFELE-LECLERQ. l. c. p. 91; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* II. p. 263—268.

Hisce Conciliis oecumenicis alia nonnunquam uti oecumenica adjiciuntur, quae tamen hoc nomine insigniri non possunt et quidem:

a) Concilium *Sardicense* (a. 343) cujus canones nonnunquam ita cum canonibus Nicaeni I conjungebantur, ut quasi unius Concilii canones haberentur[1], etsi indolem Concilii Oecumenici non habuerit[2].

b) Concilium *Quinisextum*, sive *Trullanum* (a. 692). Vocatur *Quinisextum* (*σύνοδος πενθέκτη*), quia duobus Conciliis V° et VI° Oecumenicis (scil. Constant. II. et III), quae tantum canones dogmaticos condiderant, canones disciplinares adjecit[3], qui quidem a Graecis considerantur tamquam partes Concilii Constant. III, a R. Pontifice vero invalidi declarati sunt et nonnisi partialiter postea ab ipso approbati[4]. Vocatur *Trullanum* quia in loco palatii imperialis, qui *Trullos* dicebatur, celebratum fuit. In medio aevo etiam in Ecclesia Latina nonnunquam per ignorantiam canones hujus Concilii simul cum canonibus Concilii Constant. III referebantur[5].

---

[1] Ita S. Zosimus (a. 418) in causa sacerdotis Apiarii ad duos canones Sardicenses veluti ad canones Nicaenos provocavit. Cfr. MIGNE. P. L. T. 20. col. 680 sqq.; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 347 (Ed. 1. n. 139); MANSI. *Conc. Coll.* T. 4. col. 403—405; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 504. not. 6, 7; p. 505. not. 1, 3; I. 2. p. 776; II. 1. p. 197. et not 2. Vide etiam c. 1. X. *De postulatione praelatorum.* I. 5; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 399—401. Notissimi sunt canones 3—5 de causa episcopi in casu appellationis a R. Pont. dijudicanda; c. 36. C. II. q. 6; c. 7. C. VI. q. 4; Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 2. p. 762—776; praecipue p. 764. not. 1 et p. 819—820. not. 1; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* II. p. 104—110; praecipue p. 107—108.

[2] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. I. 2. p. 819—823; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 400—401; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* II. p. 109. not. 4.

[3] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 560; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 685; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* III. p. 121.

[4] Cfr. BELLARMINUS. *De Controv.* T. II. Controv. 1. De Concil. et Ecclesia L. I. c. 7; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hbd. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 685; MOURRET. *Hist. générale de l'Église.* III. p. 123—124; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 90; III. 1. p. 560 sq. praecipue p. 578—581. Notissimi sunt canones 3, 13, 30 de coelibatu contra praxin Ecclesiae Occidentalis; HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 563 et 567; item can. 36 de Sede Patriarchali Constantinopolitana, quae ibi statuitur prima post Sedem Romanam et huic quasi aequalis; HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 567; cfr. c. 6. D. XXII. et c. 3 (e Conc. Constant. I) D. XXII una cum notis Correctorum Romanorum ibid. quoad resistentiam R. Pont. in approbatione horum canonum. De Sede Constantinopolitana vide etiam Can. 28 Conc. Chalcedon. ejusque historiam apud HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 815 sq.

[5] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 90; III. 1 p. 560. not. 2; KNÖPFLER. *Lehrb. d. Kirchengesch.*[6] § 57 in fine.

36. Nota. Concilium *Basileense* (a. 1431) etsi legitime convocatum, postea tamen schismaticum factum est et approbationem papalem nonnisi restrictam obtinuit[1]. Postea ab Eugenio IV translatum est Ferrariam et inde Florentiam, quare non immerito Concilium XVII saepius vocatur Concil. *Basileense-Ferrariense-Florentinum* (a. 1431—1442)[2].

Quoad Concilia hic recensita accuratum judicium semper est instituendum de eorum canonum numero, vi juridica et approbatione aut reprobatione a parte R. Pontificis; quod maxime valet de octo primis Conciliis in Oriente celebratis[3].

37. Natura hujus fontis. De indole et jure Conciliorum Oecumenicorum, deque iis, qui ad tale Concilium vocantur, conferantur Canones 222—229 et commentarii in hos Canones et passim etiam Theologi[4]. Notandum tamen in hisce et similibus Conciliis fontem juris proprie dictum tantum constituere *decreta* et *canones* Concilii[5], non vero acta Patrum et reliqua, quae ibi tractan-

[1] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 80 et p. 83—86; KNÖPFLER. *Lehrb. d. Kirchengesch.*[6] § 140 in fine; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* V. p. 155 et 157; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] III. p. 201 sq. praecipue p. 213—214.

[2] Ita apud HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 80 et p. 84—86; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] III. p. 201; KNÖPFLER. *Lehrb. d. Kirchengesch.*[6] § 140 in fine et partim MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* V. p. 157.

[3] Ita jure WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 203; vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 43 et passim HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* v. g. I. 1. p. 58 sqq.

[4] Cfr. S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 303 sq. (Tr. III. De fidei veritate. Pars III. c. 9); p. 385 sq.; p. 441 sq.; p. 446 sq. (Tr. IV. Adversus Febron. c. 1. c. 8 et 9); BELLARMINUS. *De Controv.* T. II. De Concil. passim; praecipue inde a L. I. c. 12 et deinceps; BILLOT. *De Eccles. Christi*[4]. Pars I. Q. XVI. p. 690 sq.; JOACH. BERTHIER O. P. *Tractatus de locis Theologicis.* (Augustae Taurinorum 1900) n. 355 sq. Cfr. etiam c. 1. (S. Isidor. Hisp. aut forte Anselmi) 2. (S. Greg. M.) 3. (quoad partem priorem, secundum multos S. Gelasii P.) D. XV. Vide BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 106; Pars III. p. 400. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. l. Quoad Decretum Gelasianum cfr. infra Pars II. Sectio I. Period. I c. 1. n. 70 *Canones Apostolorum*, ibid. in not. 1.

[5] Uti supra p. 16. not. 5. vidimus, decreta disciplinaria Conciliorum antea potissimum sub nomine canonum (Κανὼν) proponebantur; quando vero sermo erat de decretis dogmaticis, magis vox διατύπωσις occurrebat. Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 659. De aliis denominationibus uti Θεσμοί, ὅροι quae etiam nonnunquam pro decretis dogmaticis adhibebantur, vide supra p. 16. not. 5. et PHILLIPS l. c. Loco verbi „decretum" quod in Ecclesia Occidentali post Concil. Constantiense (1414—1418) magis usu veniebat, antea etiam aliae denominationes occurrebant uti „constitutio" (cfr. c. 44. X. *de electione et electi potestate*, I. 6.) „edictum" sive „sanctio" (cfr. c. 4. et 7. *de electione et electi potestate*, I. 6. in VI.). Cfr. hic HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 678. et not. 2. et p. 781. et not. 4. et 5.

tur, uti sunt relationes, probationes, postulata et schemata, quae tantum ad uberiorem intelligentiam decretorum adhiberi possunt[1].

Caput III

De Jure Pontificio

38. Notio. Jus pontificium, quod aliquando latiori sensu sumitur (cfr. supra n. 6. p. 16), hic dicitur omne jus, quod a R. Pontifice statuitur, quodque, in quantum respicit Ecclesiam universalem, inter fontes juris communis recensendum est. Hoc jus pro supremo, quem R. Pontifex in Ecclesia obtinet primatum jurisdictionis[2], est fons praecipuus juris ab Ecclesia constituti.

39. Evolutio historica. Jam a primis saeculis videmus Romanos Pontifices potestatem suam exercuisse in varias Ecclesiae provincias, prout occasio hoc requirebat[3]; potissimum post tempus

Quoad verba „canones" et „decreta" in Tridentino usitata vide postea: Pars II. Sectio I. Period. III. c. 1. et quoad inscriptionem decretorum Conciliorum in genere BENED. XIV. *De Syn. dioec.* L. I. c. 3.

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 660; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 24 I; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 19. n. 2; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 180. II. De variis repertoriis, ubi Concilia collecta inveniuntur vide infra. Pars II. Sectio I. Period. III. c. 2.

[2] Cfr. Matth. XVI. 18. 19; Jo. XXI. 15—17; coll. cum Luc. XXII. 32; S. ALPH. *Opera dogmatica* (Vers. Latin. Walter) I. p. 295—360 (Tr. III. De fidei veritate. Pars III. c. 7—10); p. 381. sqq. (Tr. IV. Adversus Febron.); *Theol. Mor.* I. n. 110 sqq. Dissertatio de Rom. Pontificis auctoritate; BILLOT. *De Eccles. Christi*[4]. Pars II. Q. 13. Thesis. 25. p. 517 sqq.; BOUIX. *Tractatus de Papa.* Tomi III (Parisiis 1869—70); PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. § 11 sqq.; V. § 201 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 23. III. et notae ibid. Perperam HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* postquam I. p. 195 sq. dogma catholicum de Primatu S. Petri et Sedis Romanae assignaverat, deinceps III. p. 682 sq. ex conjunctione Sedis Romanae cum centro antiqui regni Romani ejus influxum et praeeminentiam derivat.

[3] Primum vestigium exercitii hujus potestatis habetur in Epist. I S. Clementis Papae ad Corinthios. (circa a. 96). Cfr. OTTO BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. (Freiburg 1910) p. 24; Idem. *Geschichte der altkirchlichen Literatur.* (Freiburg 1902—1912) I. p. 98 sqq. Textus imperfectior invenitur apud MIGNE. P. G. T. 1. col. 199 sqq.; melior habetur apud RUD. KNOPF. *Der erste Clemensbrief* in *Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altkirchlichen Literatur* . . . von OSCAR VON GEBHARDT und ADOLF HARNACK. (Leipzig 1882. sqq.) XX. 1. (Neue Folge. V. 1.) p. 94 sqq. Cfr. etiam FRANC. XAV. FUNK. *Patres Apostolici*[2]. (Tubingae 1901) I. p. XXXII sqq. et p. 98 sqq. De primatu Rom. Pont. vide etiam celebre effatum S. IRENAEI. *Contra Haereses.* L. III. c. 3. n. 2, nuper laudatum in: *Acta Ap. Sedis.* XIII (1921) p. 544: „Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles." (MIGNE. P. G. T. 7. col. 849.) Quin imo ipse Im-

persecutionum et dilatatis jam Ecclesiae finibus usus hujus potestatis excrevit[1]; ita ut S. Innocentius I (a. 417) in Epistola sua ad Patres Concilii Milevitani scriberet, „quod per omnes provincias ab apostolico fonte petentibus responsa semper emanent[2]". Item S. Leo M. in Epistola ad Episcopos per provinciam Viennensem constitutos (a. 445) ait „Apostolicam Sedem innumeris relationibus esse consultam[3]." Idem testatur S. Hieronymus cum in Epist. sua ad Ageruchiam (a. 409) scribat: „cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum, Romanae urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem[4]." Neque tantum rogati, sed etiam motu proprio litteras suas ad varios Episcopos miserunt[5], et hoc quidem sive in synodis sive extra synodos, uti a. 495 testabatur S. Gelasius Papa in sua Epist. ad Episcopos Dardaniae, provocans ad suum principatum, „quem B. Petrus Apostolus Domini voce et tenuit semper et tenebit[6]".

Initio quidem concilia, etiam particularia, magis quam acta

---

perator Aurelianus (circa a. 272) in contentione Pauli Samosatae, Episcopi depositi Antiocheni ejusque legitimi successoris Domni suo modo superioritatem Sedis Romanae agnoscebat, domum episcopalem illi attribuens, cui Romanus Episcopus scriberet. Cfr. EUSEBIUS. *Historia ecclesiastica.* L. VII. c. 30. (MIGNE. P. G. T. 20. col. 719.) HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 317, 327.

[1] Cfr. Epist. S. Siricii Papae ad Himerium Archiep. Tarraconensem (Tarragona in Hispania) (a. 385). MIGNE. P. L. T. 13. col. 1131; MANSI. *Conc. Coll.* T. 3. col. 655; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 255 (Ed. 1. n. 65); Epist. S. Zosimi Papae ad Episcopos Africae in causa Caelestii, Pelagiani. (a. 417.) MIGNE. P. L. T. 20. col. 649; MANSI. *Conc. Coll.* T. 4. col. 350; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 329. (Ed. 1. n. 124.); Epist. S. Sixti III ad S. Cyrillum Alexandrinum. (a. 432.) MIGNE. P. L. T. 50. vol. 583; MANSI. *Conc. Coll.* T. 5. col. 375; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 389. (Ed. 1. n. 168.) Vide hic etiam passim HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 440, 606, 607; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I § 44. passim in notis; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 613—626. HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III p. 682—693 exercitium hujus potestatis docte quidem more suo describit, sed ad verum fundamentum ejus non pervenit; e contra falsae origini subinde potestatem hanc adscribit.

[2] Cfr. MIGNE. P. L. T. 20. col. 588, 590; MANSI. *Conc. Coll.* T. 3. col. 1075; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 322. (Ed. 1. n. 117.)

[3] Cfr. MIGNE. P. L. T. 54. col. 628, 630; MANSI. *Conc. Coll.* T. 5. col. 1143. (per errorem in Indice scribitur: 1243); JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 407 (Ed. 1. n. 185.).

[4] Ita in Epist. 123. c. 10; MIGNE. P. L. T. 22. col. 1052.

[5] Vide Epist. S. Leonis M. ad Episcopos Siciliae. (a. 447). Cfr. MIGNE. P. L. T. 54. col. 695; MANSI. *Conc. Coll.* T. 5. col. 1204. (per errorem in Indice scribitur: 1304); JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 414. (Ed. 1. n. 192).

[6] Cfr. c. 17. C. IX. Q. 3. Loco „et tenebit" in lectione magis recepta legitur: „et retinet". Hujus epistolae duplex habetur recensio. Cfr. JAFFÉ.

Romanorum Pontificum constituebant fontem praecipuum et ordinarium juris ab Ecclesia constituti, uti patet ex collectionibus antiquis canonum, quae vel unice, vel saltem praecipue continebant canones conciliorum[1]; attamen, cum progressu temporis R. R. Pontifices potestatem suam in Ecclesias jam sufficienter stabilitas facilius exercere potuerint, horum acta non tantum una cum canonibus conciliorum divulgabantur[2], sed etiam, silentibus deinde saepe conciliis, fontem ordinarium juris ab Ecclesia constituti efformabant[3].

Quia vero R. Pontifex omnia per seipsum peragere nequit, plures sibi adscivit coadjutores, quibus potestatem suam, etiam

---

Regesta[2]. n. 664. (Ed. 1. n. 395.) MIGNE. P. L. T. 56. col. 640; T. 59. col. 60. 61. et 77; MANSI. *Conc. Coll.* T. 8. col. 49. et 63. Vide etiam BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 327—329; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.*[2] I. in can. cit.

[1] Vide infra: Pars II. Sectio I. Period. I. c. 2 et 3.

[2] Saltem jam a Saec. V. Vide infra: Pars II. Sectio I. Period. I. c. 3. initio; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 44. II. cum not. 4. et IV. In Praefatione collectionis Hispanae (Saec. VII; vide infra 1. c. n. 78 *Collectiones Hispaniae.*) aperte dicitur: „subjicientes etiam decreta praesulum Romanorum, in quibus pro culmine sedis apostolicae non impar conciliorum exstat auctoritas." MIGNE. P. L. T. 84. col. 91. Vide etiam c. 9. Conc. Agathensis. (Agde in Gallia. a. 506); MANSI. *Conc. Coll.* T. 8. col. 326; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 1. p. 985; c. 2. Conc. Hispalens. II (a. 619); MANSI. *Conc. Coll.* T. 10. col. 557, qui canon immerito, uti recte notant Correctores Romani in c. 6. C. 16. Q. 3. S. Innocentio I. Papae adscribitur; vide BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 229. Cfr. adhuc c. 20. Conc. Turonens. (a. 567); MANSI. *Conc. Coll.* T. 9. col. 798, ubi, postquam acta S. Innocentii I relata sunt, dicitur: „Quis sacerdotum contra decreta talia, quae a sede apostolica processerunt, agere praesumat."

[3] Potissimum inde a S. Innocentio I (a. 401—417). Vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 187. II. Inde in decreto, quod dicitur *Gelasianum* c. 3. § 16. D. XV. statuitur: „Item decretales epistolae, quas beatissimi Papae diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendae sunt." De hoc decreto Gelasiano vide infra: Pars II. Sectio I. Period. I. n. 70 not. 1. ad: „*Canones Apostolorum*". Quin imo in Synodo Romana (a. 863) sub S. Nicolao I in c. 5 contra contemptores decretorum Apostolicae Sedis excommunicatio statuitur, his verbis: „Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide vel ecclesiastica disciplina ..... a Sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit." Vide c. 18. C. XXV. q. 2; MANSI. *Conc. Coll.* T. 15. col. 652; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* IV. 1. p. 334; JAFFÉ. *Regesta*[2]. post n. 2747. (Ed. 1. post n. 2074); BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 237. Idem S. Nicolaus I in c. 2. D. XX clero Constantinopolitano (aut Photio; vide notam Correctorum Romanorum ibid.) dixerat. „Si decreta Romanorum Pontificum non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi. Si vero habetis et non observatis, de temeritate estis corripiendi et increpandi." Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II p. 257 et 258.

supremam communicavit. Huc pertinent varia Dicasteria Curiae Romanae, de quibus Can. 7. dicit: „Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet." Quamobrem nomine *juris Pontificii* veniunt non tantum acta ipsius Romani Pontificis sed etiam acta Curiae Romanae; unde primum de actis ipsius Romani Pontificis agendum nobis est et dein de actis Curiae Romanae.

Art. I

De Actis ipsius Romani Pontificis

40. Divisio. Acta Romani Pontificis in Jure Canonico multis modis dividuntur et quidem:

1) Ratione MODI, quo eduntur, in acta *scripto edita* et *oretenus* tantum facta, sive *vivae vocis oracula*[1]. Haec nonnisi jus privatum condere possunt et in foro externo adversus alios vindicari nequeunt, nisi legitime, puta per testes aut per documentum authenticum aut saltem fide dignum evincatur, ea revera esse concessa (cfr. Can. 79)[2]; qua de re conferri potest Can. 239 § 1. n. 17, ubi assignatur privilegium Cardinalium fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantium[3]. Illa vero continent formam communiter in ordinationibus R. Pontificis usitatam; quare divisiones, quae sequuntur, uti ex definitionibus ipsis patebit, si non unice, tamen ut plurimum applicari tantum possunt actis scripto a R. Pontifice editis.

---

[1] Divisio haec jam occurrit, ut videtur, apud S. GREGORIUM M. (a. 598) in *Registr. Epistolarum.* Lib. VIII. Ep. 14; apud MIGNE. P. L. T. 77. col. 917; c. 7. C. 25. q. 2. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 82; JAFFÉ. *Regesta*[2] n. 1503 (Ed. 1. n. 1137); clarius in c. 2. in fine, *de sepulturis.* III. 7. in Clem.; c. 3. *de poenitentiis et remissionibus.* V. 9. in Extravag. com. De oraculis vivae vocis cfr. adhuc FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. h. v. n. 1. sqq.; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* V. Tit. 33. n. 149 sqq.

[2] Cfr. FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Oracula vivae vocis* n. 19; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* V. Tit. 33. n. 151 coll. c. n. 163, 164.

[3] Cfr. partim FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Oracula vivae vocis* n. 12—14. Immerito ibid. n. 9—11 simile privilegium extenditur ad varios officiales et ministros S. Sedis, qui tantum vi officii testari possunt de oraculis vivae vocis improprie dictis, h. e. de iis responsis a S. Sede datis, quae ad eorum officium pertinent quaeque deinceps referuntur in scriptis. Ita jure hic MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 338. F. et ibid. in fine not. 2.

2) Ratione AMBITUS in *Constitutiones* et *Rescripta*[1]. *Constitutiones* vulgo *Constitutiones Apostolicae* dictae dicuntur leges aut ordinationes scriptae, quae respiciunt magis totam Ecclesiam aut saltem notabilem ejus partem[2]; in priori casu vocantur *Constitutiones generales*, in altero *Constitutiones particulares*[3]. *Rescripta* vero nonnisi personas et causas particulares respiciunt.

3) Ratione OCCASIONIS, qua eduntur, aut MATERIAE, quam continent, vocantur magis *Decreta*, si continent legem aut ordinationem aliquam motu proprio a R. Pontifice datam[4]; vocantur „*Motu proprio*" (sc. decreta), si non tantum, uti vox ipsa indicat, motu proprio a R. Pontifice eduntur, aut ita edi censentur[5], sed insuper sollemnitatibus usitatis carent[6]; vocantur aut vocabantur *decretales* (sc. epistolae) sive *decretalia*, si ex consultatione vel postulatione aliqua oriuntur[7]. Sunt *decisiones* sive *resolutiones*, si

---

[1] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 141. I, II; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. § 155. p. 651; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 17; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 137. II. III et not. 5.

[2] Vox *Constitutionis* derivatur a Jure Romano, ubi acta Principum i. e. Imperatorum hoc nomine vocabantur. Cfr. MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 61. Vide etiam c. 4. D. II. Antea in Jure Canonico latius sumebatur; cfr. c. 3. D. I. REIFFENSTUEL. *Jus. Can. Univ.* I. Tit. 2. n. 5. Hodie videtur haec vox reservari pro actis immediate ab ipso R. Pontifice editis et quidem motu proprio circa negotia Ecclesiae graviora et in forma sollemniori Bullae. Vide MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. A.

[3] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 137 III.

[4] Cfr. BOUIX. *Tr. de. Princ.* Pars II. Sectio II. c. 7. § 1; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 137. III; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 336. A.; 337. B. Etiamsi forte praecesserint preces, decreta ista tamen non censentur edita ex motivo precum, sed motu proprio ipsius Superioris. Hodie vox *decretum* magis reservatur pro actis a Curia Romana editis; ipsa acta R. R. Pontificum potius vocantur *constitutiones*, *motus proprii*, *litterae apostolicae* etc. Cfr. MAROTO. l. c. n. 337. E.

[5] Cfr. HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782.

[6] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. B. Non recte PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] Q. 19. adstruit, Motus proprios tollere quaecumque privilegia contraria neque vitiari posse obreptione aut subreptione. Cfr. e contra Can. 71 coll. c. Can. 60 et vide Can. 45 coll. c. Can. 1054 quoad valorem clausulae *Motu proprio* Rescriptis appositam.

[7] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio II. c. 7. § 1; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 137. III; immerito HINSCHIUS *System d. kath. Kirchr.* III p. 782. not. 9. hanc distinctionem simpliciter rejicit. Vide Glossam ad dictum Gratiani init. D. III. v. „*omnes*" „Decretum dicitur, quod Papa statuit de concilio Cardinalium suorum ad nullius consultationem. Decretalis epistola dicitur, quam statuit Papa vel solus vel cum Cardinalibus ad consultationem alicujus." Vide etiam Glossam ad Bullam Gregorii IX: „*Rex pacificus*" v. „*constitutiones*". Vox: *Litterae decretales* nuper a Bened. XV. praeposita erat Bullis canonizationis S. Ca-

quaestionem juris solvunt, *sententiae*, si causas judiciales terminant[1]. Vocantur magis *Litterae Apostolicae* in sensu strictiori, si versantur circa negotia ordinis administrativi v. g. circa erectionem alicujus dioecesis, aut Vicariatus Apostolici[2]; vocantur *Litterae* aut *Epistolae Encyclicae* aut simpliciter *Encyclicae*, quando R. Pontifex omnibus totius Ecclesiae aut alicujus partis Ecclesiae episcopis aut fidelibus mentem suam exponit circa aliquod caput doctrinae aut disciplinae ecclesiasticae[3]. Vocantur simpliciter *Epistolae* aut *Litterae Pontificiae*, aut *Epistolae* vel *Litterae* sine addito, si revera mere sunt litterae simplices, in quibus R. Pontifex dat quaedam monita, hortamina aut instructiones, aut in quibus exprimit grati animi sensus, benevolentiae, gratulationis et sic porro[4].

Ex eodem fonte acta R. Pontificis adhuc dicuntur *instructiones*, *declarationes*, *monita*, *statuta*, *mandata*, *responsa* etc., de quibus, quid significent, verba ipsa indicant. Quoad *rescripta* dein, *privilegia* et *dispensationes* vide Commentarios in Titt. IV, V et VI Libri I Codicis.

4) Ratione FORMAE EXTERNAE acta R. Pontificis, quae formam epistolarem aliquo modo prae se ferunt, dividuntur in *Bullas*, *Brevia*, *Epistolas* sive *Litteras simplices* et *Chirographa*[5].

a) *Bullae* sunt Litterae Apostolicae apertae (quare etiam dicuntur *litterae patentes*) sollemnioris formae, quae adhibentur in expediendis negotiis majoris momenti. Nomen obtinent a numismate

---

brielis, S. Margaritae Mariae et S. Joannae de Arc editis dd. 13 et 16. Maji 1920; *Acta Ap. Sedis.* XII (1920) p. 474, 486 et 514.

[1] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. L; LAURENTIUS. *Instit. Jur. Eccl.*[3] n. 15.

[2] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. C.

[3] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio II. c. 7. § 1; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. D. Exemplum rarissimum Epistolae encyclicae directae ad Doctores et alumnos litterarum artiumque optimarum orbis catholici habetur in Ep. encycl. BEN. XV. „*In praeclara*" d. 30. April 1921, saeculo sexto exeunte ab obitu Dantis Aligherii. *Acta Ap. Sedis.* XIII (1921) p. 209. Si similia acta procedunt a Dicasteriis Romanae Curiae, vocantur magis *Epistolae*, sive *Litterae circulares*. Cfr. MAROTO. l. c.; VERMEERSCH-CREUSEN. *Epitome Jur. Can.* I. n. 31. not. 1. Vox: *Epistola Apostolica* videtur magis reservari pro Epistolis quibusdam, Epistolis Encyclicis admodum similibus, cfr. Epist. apost. Bened. XV de fide propaganda d. 30. Nov. 1919; *Acta Ap. Sedis.* XI (1919) p. 440, sed quoad materiam nonnunquam diversis; cfr. Epist. apost. Pii XI de Russis fame laborantibus d. 10. Jul. 1922; de studiis clericorum d. 1. Aug. 1922; de pace Italiae d. 6. Aug. 1922; *Acta Ap. Sedis* XIV (1922) p. 417, 449. 481.

[4] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] l. n. 337. D.

[5] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 430; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 139. I.

sive sigillo plumbeo, *bulla*[1] dicto, quod olim filo serico vel cannabino hisce litteris appendebatur[2]. Sigillum hoc ex una parte (in antica) expressas habebat facies S. S. Apostolorum Petri et Pauli, cruce ab invicem distinctas, ex altera parte (in postica) nomen Pontificis regnantis. Si Papa nondum erat coronatus, sigillum in postica vacuum erat et bullae vocabantur *dimidiae*[3]. Hodie post Motu proprio Leonis XIII „*Universae Ecclesiae*" d. 29 Dec. 1878 sigillum plumbeum tantum apponitur Bullis majoris momenti; in reliquis imprimitur tantum in ipsa parte inferiori Bullae sigillum rubri coloris, referens pariter capita S. S. Apostolorum Petri et Pauli, nomine Pontificis regnantis circumdata[4].

Scribuntur Bullae in charta pergamena sive membrana crassa, rectangulari et vulgo horizontali et olim quidem litteris longobardicis, dein gallicis et teutonicis (etiam *bullaticis* dictis) sine interpunctione et verbis abbreviatis[5]. Hodie vero post cit.

---

[1] Cfr. Facciolati-Forcellini. *Lexicon.* i. v. *Bulla.* Dufresne-du Cange. *Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis.* i. v. *Bulla.*

[2] Inde dicebantur et hodie adhuc dicuntur *Apostolicae sub plumbo litterae.* „Quandonam plumbearum (Bullarum) usus inceperit controversum est inter eruditos." Ita ait Mabillon. *De Re diplomatica.* (Neapoli 1789) L. II. c. 14. n. 7, nec ipse audet decidere. (ibid. n. 9) Certo jam apparent a tempore Stephani III (752—757) et Pauli I (757—767) Mabillon (l. c. n. 9). Nonnulli eas jam adscribunt tempori S. Gregorii M (590—604). Vide Mabillon l. c. n. 7 sqq.; Ortolan in *Dict. de Théol. Cath.* T. II. i. v. *bulle* col. 1256. Perraro numisma fuit aureum; tunc autem Bullae dicebantur *aureae.* Cfr. Glossa ad Cap. un. *de jurejurando. v.* „*aurea bulla*" in fine. II. 9. in Clem. Ajunt nonnulli, quibus videtur accedere Card. Vinc. Petra. *Commentaria ad Constitutiones apostolicas* (Romae 1705 sq.) Prooemium. § 1, n. 12. R. R. Pontifices fere unice bullis aureis usos fuisse in diplomatibus, quibus electiones imperatorum confirmabant. Alia exempla adhuc afferuntur, v. g. Bulla, qua Leo X (non vero Clem. VII, uti ex aliis fontibus referunt Mabillon l. c. n. 12; Petra l. c. n. 11, 12. Riganti. *Commentaria in Regulas . . . Cancellariae Apostolicae.* (Romae 1744—1747.) Comment. in Reg. 17. n. 27 et Phillips. *Kirchenrecht.* III. p. 641. not. 12.) Henricum VIII, Regem Angliae, titulo Defensoris fidei insignivit. Cfr. *Bullarium Taurinense.* T. V. p. 773; reproductionem hujus sigilli aurei vide in *The Catholic Encyclopedia.* T. III. p. 58. v. *bulls* in fine. Ajunt Vermeersch-Creusen. *Epitome Jur. Can.* I. n. 32. Ben. XIV. Bullam auream dedisse Congregationibus Marianis.

[3] Cfr. Riganti. *Comment. in Reg. . . . Canc. Apost.* Comm. in Reg. 17. n. 10. sqq.; Phillips. *Kirchenrecht.* III. p. 646; Ferraris. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla* n. 15 et 36.

[4] Cfr. *Acta Leonis XIII.* Vol. I p. 184.

[5] Cfr. Grisar in *Kirchenlexikon*[2] i. v. *Bullen und Breven.* col. 1488, ubi patet Cancellariam papalem characteres longobardicos, primitus usitatos, desumpsisse a Cancellaria Romani Imperii; postea stabiles manserunt litterae gallicae, quae ex eo tempore in usu habebantur, quo S. Sedes

Motu proprio Leonis XIII d. 29 Dec. 1878 scribuntur non tantum, uti olim communiter, Latino sermone, sed etiam charactere Latino et modo ordinario. In principio referunt nomen Pontificis regnantis sine numero et addita formula. „*Episcopus, Servus Servorum Dei*"; in fine indicantur annus, dies et mensis datae una cum anno Pontificatus Pontificis regnantis. Anni computantur juxta aeram vulgarem, sed initium anni antea communiter ducebatur a die Incarnationis Domininicae h. e. a die 25 Martii[1]. Pius X vero in Constitutione „*Sapienti consilio*" d. 29 Junii 1908 praescripsit, ut deinceps initium anni duceretur a Kalendis Januarii[2].

Antea dies computabantur more Romano per Kalendas, Nonas et Idus, hodie vero — saltem de regula generali — more vulgari[3]. Expediuntur Bullae communiter a Cancellaria Apostolica (cfr. Can. 260), aut, si respiciunt collationem quorundam

morabatur Avenione. A diebus Hadriani VI, Batavi (1522—1523) introducta est littera teutonica, deinceps *litera S. Petri* sive *charactere bollafico* dicta, qua Stylus Cancellariae deterior fiebat. Cfr. GRISAR l. c.; CARD. DE LUCA. *Theatrum veritatis et justitiae.* (Neapoli 1758.) L. XV. Pars II. Relatio Romanae Curiae. Disc. 7. n. 9, 10; FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 6, 7, 11; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 645 et not. 30; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 140 et not. 6; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782. not. 17.

[1] Computatio haec, quae *Florentina* vocabatur, tribus mensibus retro erat post computationem vulgarem. Anni incarnationis Dominicae vulgares initium ducebant a die 25 Decembris. Computatio vero, quae *Pisana* vocabatur initium anni pariter ducebat a die 25 Martii, sed ita, ut computationem vulgarem novem mensibus praecederet, quod accuratius erat, quia Computatio Florentina proprie initium sumebat ab anno completo post Incarnationem Dominicam. Variae computationes olim adhibitae fuerunt in Cancellaria papali; attamen jam inde ab Eugenio III (1145—1153), ut videtur, computatio Florentina praevalebat, quae deinceps retenta fuit usque ad Pium X. in Constitutione: „*Sapienti consilio*" d. 29 Jun. 1908. Cfr. hic JAFFÉ. *Regesta*[2]. Praefatio p. IX; GRISAR in *Kirchenlexikon*[2] i. v. *Bullen und Breven*, col. 1492—93. Ita v. g. celebris Constit. Leonis XIII. „*Officiorum ac munerum*" de Prohibitione et Censura librorum, quae revera edita fuit die 23 Jan. 1897 refert datam: 25 Jan. 1896, juxta computationem antiquam anni Incarnationis Dominicae. Cfr. *Acta Leonis* XIII. Vol. XVII. p. 36. Perperam igitur *Acta S. Sedis.* Vol. XXIX p. 400 corrigendo scripserunt: „millesimo octingentesimo nonagesimo *septimo.*

[2] Cfr. *Acta Ap. Sedis.* I (1909) p. 17; Attamen DICTIO: *anno Incarnationis Dominicae* saepius adhuc retenta est.

[3] Ita hodie de facto observatur inde ab anno 1913, saltem de regula generali. Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2]. I n. 338. A. h. et not. 2. Dixi: „de regula generali" quia dantur exceptiones; vide v. g. *Acta Ap. Sedis* XII (1920) p. 320. Etiam in aliis Actis S. Sedis, quae non sunt Bullae, computatio antiqua per Kalendas etc. saepius recurrit. Vide v. g. varia decreta S. Congr. Rituum; *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 185; X (1918) p. 147, 150, 252, 254; XI (1919) p. 326, 328.

beneficiorum a Dataria (cfr. Can. 261), Constitutiones vero etiam a Secretaria Status[1]. Subscribuntur vel a solo Cardinali Cancellario cum aliis officialibus Cancellariae, vel a Cardinali Cancellario et a Cardinali Praefecto illius Congregationis, ad quam res, de qua tractant, pertinet, vel, si agitur de Constitutionibus, a Cardinali Cancellario et a Cardinali Secretario Status aut a Cardinali Praefecto competentis Congregationis[2]. Excipiuntur Bullae, quae dicuntur *Consistoriales*, quae agunt de rebus gravissimis v. g. de canonizatione Sanctorum, quae dantur vel saltem censentur esse datae in Consistorio et quibus ipse R. Pontifex et Cardinales, qui in Curia adsunt, aut saltem qui ad S. Congr. Rituum pertinent, subscribunt[3]; quae Bullae solent etiam praeferre alterum sigillum ad formam crucis[4]. Prima verba Bullarum vocantur *arenga*[5], per quam citari solent, v. g. Bulla: „*Unam Sanctam*" Bonifacii VIII.

b) *Brevia* sunt Litterae Apostolicae minus sollemnes, quae adhibentur in expediendis negotiis non adeo gravis momenti[6]. Vocantur *Brevia*, quia stylus brevior est et simplex et desunt

[1] Cfr. passim Const. cit. Pii X: „*Sapienti consilio*"; *Acta Ap. Sedis* I (1909) v. g. ibid in fine p. 104. Item Motu proprio Pii X: *In Romanae Curiae.* d. 8 Dec. 1910; *Acta Ap. Sedis* II (1910) p. 939; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 338 A. l. in fine. Inde a Const. cit. Pii X: „*Sapienti consilio*" aboliti sunt modi antiqui expediendarum bullarum, qui modi dicebantur *per viam secretam, de Camera, et de Curia.* Cfr. *Acta Ap. Sedis.*I (1909) p. 16.

[2] Cfr. Decr. *S. Congr. Consistorialis* de speciali mandato Pii X. d. 15. April 1910; *Acta Ap. Sedis* II (1910) p. 287; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 338. A. i.

[3] Cfr. FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 36; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782. not. 13; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 646. Exemplo sit Bulla: „*Benedictus Deus*" d. 24 Jan. 1564, qua Pius IV decreta Tridentina confirmavit, quae bulla passim in editionibus vulgatis Concilii Trid. est apposita. Vide etiam Bullas consistoriales Pii X. d. 20 Maji 1909 de canonizatione S. Josephi Oriol et S. Clementis Mariae; *Acta Ap. Sedis* I (1909), p. 605 et 637, et Bullas consistoriales Bened. XV. dd. 13 et 16 Maji 1920 de canonizatione S. Gabrielis, S. Margaritae Mariae et S. Joannae de Arc; *Acta Ap. Sedis* XII (1920) p. 474, 486 et 514.

[4] Cfr. FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 36; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 646. not. 36.

[5] Cfr. GRISAR. in *Kirchenlexikon*[2] i. v. *Bullen und Breven.* col. 1489; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 140; DUFRESNE-DU CANGE. *Glossarium* i. h. v.

[6] Cfr. DE LUCA. *Theatr. verit. et just.* L. XV. Pars II. Relatio Rom. Curiae. Disc. 7. n. 8 et 9; FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 1. BENED. XIV. in Const.: „*Gravissimum Ecclesiae*" d. 26 Nov. 1745 accurate indicat negotia in quibus Brevia adhiberi debent. Vide *Bullar. Ben.* XIV. (Ed. Mechlin 1826—27) Vol. 3. p. 294.

ibi multiplices clausulae in Bullis usitatae[1]. Scribuntur in charta pergamena tenui et oblonga et sigillum gerunt in cera rubra super ipsam pergamenam impressum, referens S. Petrum, in navicula consistentem et rete trahentem; quare ipsum sigillum *annulus Piscatoris* dicitur[2]. Idioma generatim est Latinum et litterae pariter sunt Latinae. Incipiunt a nomine Pontificis regnantis cum addito: *Papa* et numero, v. g. *Pius Papa XI* vel *Pius PP. XI.* Data apponitur secundum Kalendarium ordinarium, dies, mensis et annus aerae vulgaris et dein annus Pontificatus[3]. Expediuntur semper a Cancellaria Brevium (cfr. Can. 263. n. 3), subscribuntur hodie communiter a Cardinali Secretario Status, secus a Cancellario Brevium[4].

c) *Epistolae* sive *Litterae simplices* sunt Litterae Apostolicae, quae non continent sollemnitates Bullarum aut Brevium sed modo ordinario scribuntur in charta ordinaria. Exarantur a Secretaria Brevium ad Principes vel a Secretario Epistolarum Latinarum (cfr. Can. 264) et referunt subscriptionem Pontificis hoc modo: *Pius PP. XI*[5].

d) *Chirographa* vocantur litterae, quibus R. Pontifex semper propria manu subscribit[6]; nonnunquam tales litterae vocantur etiam *Litterae autographae*[7].

[1] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 431—432; FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 139 not. 3. coll. c. p. 140. III.

[2] Exinde hae Litterae vocantur etiam: *Litterae Apostolicae sub annulo Piscatoris* aut *Litterae Apostolicae* simpliciter. Primum vestigium hujus annuli, sed tamquam sigilli secreti R. Pontificis invenitur apud Clementem IV a. 1264. Vide MABILLON. *De Re diplom.* L. II. c. 14. n. 11; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 643 et not. 20. Saltem jam a Saec. XV. brevia prima vice apparent in forma uti hodie habentur cum annulo Piscatoris apposito. Cfr. MABILLON. l. c; ORTOLAN in *Dict. de Théol. Cath.* T. II. i. v. *Bref.* col. 1125.

[3] Cfr. FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 9. sqq.; GRISAR in *Kirchenlexikon*[2] i. v. *Bullen und Breven.* col. 1485.

[4] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 430, 433; FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 3; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 338. B. Communiter mittuntur clausae cum directione adscripta. Cfr. HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 784; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 140.

[5] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 430; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 337. D. et 338. C.

[6] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 430 et 431. not. 4; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 782; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 139. I; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 140. Exemplum chirographi Pii X. d. 1 Jun. 1914 et Bened. XV. d. 28 Jun. 1915 vide: *Acta Ap. Sedis* VI (1914) p. 341. et VII (1915) p. 325.

[7] Vide Litteras autographas Pii XI. d. 7 April. 1922 et d. 29 April. 1922 de conventu pacis Genuae coadunato: *Acta Ap. Sedis* XIV (1922) p. 217 et 265.

41. Denominationes antiquae. Hucusque de denominationibus actorum R. Pontificis hodie praesertim usitatis. Antea alia etiam occurrebant nomina, v. g. *epistolae a pari* (τὰ ἴσα), quibus verbis significabantur plura exemplaria ejusdem epistolae statim ab initio jam confecta, eo fine, ut in diversas Ecclesiae provincias insimul mitterentur[1]. Praeterea habebantur *decreta synodica*, *epistolae synodicae*[2] quae magis de rebus fidei tractabant, *canones urbicani*, *litterae commonitoriae*, *tractoriae*, vel *tractatoriae*, *edicta*, *interdicta*, *auctoritates*, *sanctiones*, *regulae* etc., quae semel indigitasse sufficit[3].

42. Vis juridica horum actorum. Vis juridica sive legalis horum actorum, supposita eorum authenticitate (cfr. hic Can. 47 et 53 *De rescriptis* et quoad falsificationem actorum Can. 2360—62)[4], tantum invenitur in parte sic dicta *dispositiva*, non in parte *expositiva* aut *motiva* harum legum et ordinationum (Vide etiam supra n. 37)[5], eodem modo, quo etiam theologi in definitionibus

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 627—629; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 188. not. 7; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 17. Exemplum (primum, ut videtur) habetur in epist S. Zosimi (a. 417) ad Episcopos Africae; MIGNE. P. L. T. 20. col. 661. (vide not. d.); MANSI. *Conc. Coll.* T. IV. col. 361; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 331 (Ed. 1. n. 126); item in ejusdem epist. ad Episcopos provinciae Viennensis et Narbonensis: MIGNE l. c. col. 665; MANSI. l. c. col. 363; JAFFÉ. l. c. n. 334 (Ed. 1. n. 129).

[2] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 631—636; VERING. *Lehrb. ... d. Kirchr.*[3] § 14. I.

[3] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 629—630; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 685, p. 781. not. 5. et p. 782; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 188. not. 8; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 335.

[4] Quoad falsificationem Bullarum vide hic X. Tit. *de crimine falsi.* V. 20, ubi praecipue Innoc. III fortiter insurgit contra falsarios et ibid. Cap. 5. novem modos falsandi litteras papales assignat. Vide etiam c. 2, 10 et 11. X. *de rescriptis.* I. 3; passim RIGANTI *Comment ... in Regul ... Canc. Apost.* in Reg. 16; PETRA. *Comment. ad Constit.* Proöem. § 3 passim; GRISAR in *Kirchenlexikon.*[2] i. v. *Bullen und Breven.* col. 1485—1486; FERRARIS. *Prompta Biblioth.* i. v. *Breve, Bulla.* n. 23; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 648—651; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 141. not. 12. Ad dignoscenda acta papalia vera a falsis praeclara servitia praestiterunt praeter MABILLON in opere cit: *De re diplomatica* (Neapoli 1789) ejus confratres * Dom. TOUSTAIN et Dom. TASSIN. O. S. Ben. e Congr. S. Mauri. in opere: *Nouveau Traité de Diplomatique ...* (Paris 1750—1765) Vol. 6. i. 4, cujus versio germana prodiit a * J. ADELUNG. *Neues Lehrgebäude der Diplomatik* (Erfurt 1759—1769) Vol. 9. i. 4.

[5] Cfr. FRANC. LAURIN. *Introductio in Corpus Juris Canonici.* (Friburgi 1889) p. 157; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 14 et not. 11; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 139 in fine; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 331 in fine.

dogmaticis partem argumentativam a doctrina proprie definita distinguunt[1]. Et haec vis juridica non deficit, etiamsi rationes ibidem allegatae non viderentur esse concludentes, quia Superior potest etiam ex aliis rationibus procedere, quam quas allegat[2], et insuper, etiamsi deficerent rationes: ratio legis non est lex; potest tamen inservire interpretationi legis. Vide commentarios in Tit. I. *De legibus ecclesiasticis* Libri I Codicis.

Art. 2

De Actis Curiae Romanae

43. Notio. Nomine *Curiae Romanae* veniunt varia Dicasteria, quae Romae existunt, scil. Sacrae Congregationes, Tribunalia et Officia, quae adjuvant Romanum Pontificem in regimine Ecclesiae universalis (cfr. Can. 242). Per haec Dicasteria Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet, quamobrem Curia haec, nisi aliud ex rei natura vel contextu sermonis appareat, venit etiam in Jure nomine *Sedis Apostolicae* vel *Sanctae Sedis* (cfr. Can. 7) et ita acta hujus Curiae constituunt quoque *Jus Pontificium*[3] et in quantum respiciunt Ecclesiam universalem inter fontes juris communis recensenda sunt[4].

Quae hic dicuntur de Curia Romana ejusque actis etiam, servata proportione, applicari debent iis coetibus Cardinalium, qui singulis vicibus pro casibus occurrentibus a R. Pontifice designantur

---

[1] Cfr. BELLARMINUS. *De Controv.* T. II. De Concil. L. II. c. 12: „Quartum est"; WILMERS. *De Christi Ecclesia* p. 394—407.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 16. et not. 19; fr. 20. D. *De legibus senatusque consultis et longa consuetudine.* I. 3: „Non omnium, quae a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest."

[3] Cfr. Const. „*Immensa*" Sixti V. d. 22 Jan. 1588, qua 15 Congregationes instituit ubi in *Bullar. Taurin.* T. VIII. p. 986 dicit: „pontificium hoc onus, angelicis plane humeris formidandum, inter ... fratres nostros cardinales. ... partiri decrevimus." BENED. XIV. *Institutiones ecclesiasticae.* (Lovanii 1762) Instit. LXXVI. n. 8. dicit, Sedem Apostolicam voce sacrarum Congregationum suas declarare sententias. Vide BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 3; BOUIX. *Tr. de Curia Rom.* Pars III. initio; p. 295—296; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* VI. p. 558—559 et p. 568; ALBERT. TOSO. *Ad Codicem Juris Canonici ... commentaria minora.* (Tiberini. Romae 1921) I.[2] p. 21.

[4] Cfr. BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 3; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 144. II. et n. 146. IV. not. 62; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 344.

(cfr. Can. 245), necnon duabus Commissionibus Cardinalium in Urbe existentibus, quarum una est *de re biblica*, de qua conferatur Motu proprio Pii X „*Praestantia Scripturae Sacrae*" d. 18 Nov. 1907[1] et altera *de interpretatione Codicis*, de qua vide statim n. 47 et 48[2].

44. Divisio actorum. Quod ad nomen et divisionem actorum Curiae Romanae attinet, in genere eadem repeti possunt quae in Art. praecedenti de actis ipsius R. Pontificis dicta sunt. Quare pro diversa OCCASIONE, ex qua oriuntur, pro MATERIA quam continent, pro AMBITU, MODO et FORMA, quibus conduntur, vocantur: *Decreta* sive *generalia*, sive *particularia* (et quidem vox *decreti* saepissime occurrit et fere genericum est pro omnibus actis Curiae) dein *rescripta*, *decisiones* sive *resolutiones*, *sententiae*, *instructiones*, *declarationes*, *monita*, *dubia et responsa*, *litterae circulares*, *simplices epistolae* et sic porro. Cfr. supra n. 40[3].

45. Authenticitas horum actorum. In hisce actis sedulo attendendum est, num sint genuina aut saltem fide digna. Genuina aut authentica sunt, si ab officialibus competentibus Curiae in forma legitima subscripta sunt. Ita v. g. apud S. S. Congregationes Romanas ad hoc requiritur subscriptio Cardinalis Praefecti et Secretarii Congregationis aut ejus Substituti, aut saltem unius ex hisce Praelatis una cum appositione sigilli Dicasterii proprii. Hoc patet ex monito S. Rit. Congr. d. 28 Jan. 1912, quo innuit, nullius roboris esse *rescripta*, *responsa ad dubia*, *concessiones*, *declarationes cujusque generis*, *privilegia*, *commentaria* nomine ipsius S. Congregationis evulgata, nisi, prout de jure, subsignata fuerint exclusive ab Emo Cardinali ipsi S. Congregationi Praefecto una cum S. ipsius Congregationis Secretario vel ejus Substituto, aut, in casu necessitatis saltem ab Emo Praefecto, vel a Secretario aut ejus Substituto[4]. Similes dispositiones jam antea

---

[1] Cfr. *Acta Pii X.* Vol. IV. p. 233; item *Acta Ap. Sedis* I. (1909) p. 18, ubi etiam alii coetus enumerantur nempe: *Historiae*; *Obulo S. Petri administrando, et Fidei in Urbe praeservandae*, qui quidem talem competentiam non habent, atque in eodem statu dicuntur permanere.

[2] Cfr. hic MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 339. B.

[3] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 143 et 144; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 334. A; n. 339. A et 343. BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 36. II.

[4] Cfr. *Acta Ap. Sedis* IV (1912) p. 84.

datae erant a S. Congr. Concilii et a S. Congr. de Propag. Fide[1]. Pro S. Congr. S. Officii sufficit sola subscriptio Notarii[2].

Non tamen rejicienda sunt acta, quae subscriptionem authenticam non referunt, sed a scriptoribus aut a testibus fide dignis afferuntur; etenim licet authentica non sint, tamen valore, praecipue doctrinali, non destituuntur. Patet hoc ex praxi clarissimorum scriptorum v. g. Bened. XIV et ipsius S. C. Conc. ubi nonnunquam remittunt ad declarationes apud auctores fide dignos allegatas, de quibus vero testimonium authenticum non affertur[3].

46. Vis juridica horum actorum. In hisce actis, quod ad eorum *vim juridicam* attinet, eadem distinctio facienda est ac quae supra assignata est quoad acta ipsius R. Pontificis; scil. vis juridica tantum inest in eorum parte *dispositiva*, non in parte *expositiva* aut *motiva*. Cfr. supra n. 42. Si non referunt approbationem R. Pontificis aut ab ipso tantum confirmantur *in forma communi*, remanent acta propria horum Dicasteriorum et non fiunt acta stricte papalia; si vero confirmantur *in forma specifica* fiunt acta stricto sensu papalia, quia tunc R. Pontifex ea plene sua facit, aeque ac si motu proprio ab ipso fuissent edita[4].

47. Competentia Curiae Romanae. Plena expositio compe-

[1] Cfr. Decr. S. C. Conc. jussu Urbani VIII. d. 2 Aug. 1631. editum, cit. apud BARBOSA. *Juris ecclesiastici Libri tres.* L. I. c. 4. n. 83. et HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III p. 789 not. 1. Item decreta S. C. de Prop. Fide. d. 30. Jul. 1652 et 15. Maji 1779 in: *Collect. S. C. de Prop. Fide.* (Romae 1893) n. 10 et 11. (Ed. 1907. I. n. 119.). Vide hic BANGEN. *Die Römische Curie.* p. 15 et not. 1; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV p. 496.

[2] Ita apparet ex decretis hujus S. Congregationis relatis in Commentario officiali: *Acta Ap. Sedis.* Vide etiam FRANC. SANTI. *Praelectiones Juris Canonici* (Ratisbonae 1886) L. I. Tit. 31. n. 45; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 144. III; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 338. D. not. 1.

[3] Cfr. FAGNANUS. *Commentaria in Quinque Libros Decretalium* in c. 13.: Quoniam. X. *De constitutionibus.* I. 2. n. 59; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Pröoem. § 8. n. 127, 128; DE LUCA. *Theatr. verit. et just.* L. XIV. Pars V. Annotat. ad Conc. Trid. Disc. 1. n. 17, 18; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 789. not. 1; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* VI. p. 567; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 145. not. 5; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 144. III et not. 51; SANTI. *Praelect.* Jur. Can. L. I. Tit. 31. n. 46; *Analecta Juris Pontificii.* (Romae 1855 sqq.) II. col. 2379. n. 90.

[4] Cfr. passim commentatores ad Tit. 30 *de confirmatione utili vel inutili.* L. II. Decretalium; v. g. BARBOSA. *Collectanea Doctorum.* II. i. h. Tit. initio n. 6. sqq. et c. 4. n. 12 sqq.; PIRHING. *Jus. Can.* II. i. h. Tit. n. 2. sqq.; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* II. i. h. Tit. n. 4. sqq.; SUAREZ. *De Leg.* L. VIII. c. 18. n. 3. sqq.; BENED. XIV. *De Syn. dioec.* L. XIII. c. 5. n. 11; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 92. III; n. 143. not. 47; n. 146. IV. not. 62; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 342 et n. 343. F.

tentiae Curiae Romanae in Commentariis Can. 242 sqq. dari debet. Hoc unum hic notasse sufficiat, propriam competentiam plurimorum saltem Dicasteriorum hujus Curiae et potissimum quidem S. S. Congregationum in eo sitam esse, quod urgeant et executioni tradant leges jam constitutas, quod earum sensum declarent, observantiam moderentur aut dispensationem ab iis concedant. Possunt tamen etiam, saltem S. S. Congregationes, pro sua quaeque competentia, nova decreta, etiam generalia edere, si nempe gravis Ecclesiae universae necessitas hoc suadeat; praemonito tamen S. S. Pontifice si a Codicis praescriptis dissentiant[1]. Patet hoc i. a. ex Motu proprio Bened. XV. „*Cum juris canonici*" d. 15 Sept. 1917 mox referendo, quo speciale *Consilium* sive *Commissio* instituitur *ad Codicis canones authentice interpretandos* et ubi etiam relatio hujus Commissionis ad S. S. Congregationes Romanas quae ad ipsam nova sua decreta generalia, a R. Pontifice approbata, deferre debent describitur. Pro clariori intelligentia competentiae hujus Commissionis necnon ipsius relationis ad S. S. Congregationes citatum Motu proprio hic ex integro transscribimus.

48. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos.

Motu proprio

Commissio instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos[2].

BENEDICTUS PP. XV.

Cum juris canonici Codicem, fel. rec. decessoris Nostri Pii X jussu digestum, non multo ante, exspectationem totius catholici orbis explentes, promulgaverimus, Ecclesiae bonum ipsiusque natura rei profecto postulant ut, quantum fieri potest, caveamus,

---

[1] SCHERER hic ubi de competentia Curiae Romanae agit *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 145 vera (vide ibid. not. 2.) falsis (vide ibid. p. 145. I. circa finem) permiscet. Ceterum potestas S. S. Congregationum edendi decreta generalia non est *absoluta* et *plena*, sed potius *limitata* uti bene notant WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 92. III. et MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 340. D. Alia argumenta pro competentia legislativa S. S. Congregationum hodie non addubitata et olim saltem pro quibusdam S. S. Congregationibus certo jam admissa vide apud MAROTO. l. c. C. cum notis adjectis; interea remitto pro ulteriori expositione naturae potestatis Curiae Romanae ad commentarios Can. 242 sqq.

[2] Quoad hoc Motu proprio cfr. MAROTO in *Comment. pro Relig.* I (1920) p. 33—45; VERMEERSCH in *Period.* IX (1920) p. 16—19; HILLING in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 98 (1918) p. 81—82; *Monitore ecclesiastico.* XXIX (1917) p. 341—343.

ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et conjecturis, aut crebra novarum legum varietate, tanti operis stabilitas in discrimen aliquando vocetur. Quapropter propositum Nobis est utrique incommodo occurrere; quod ut efficiamus, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione Nostra, haec, quae infra scripta sunt, statuimus atque decernimus:

I. Exemplum decessorum Nostrorum secuti, qui decretorum Concilii Tridentini interpretationem proprio Patrum Cardinalium coetui commiserunt, Consilium, seu *Commissionem*, uti vocant, constituimus, cui uni jus erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra Congregatione, cujus propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. Idem vero Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus coetui praesit, Auctoritate Nostra et successorum Nostrorum deligendis; his accedent tum vir probatus, qui sacri Consilii erit ab Actis, tum aliquot Consultores ex utroque clero juris canonici periti, eadem Auctoritate designandi; sed Consilio jus erit Consultores quoque Sacrarum Congregationum, pro sua quemque re, sententiam rogandi.

II. Sacrae Romanae Congregationes *nova Decreta Generalia* jamnunc ne ferant, nisi qua gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat. Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit, tum curare, ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *Instructiones*, si res ferat, edere, quae iisdem Codicis praeceptis majorem et lucem afferant et efficientiam pariant. Ejusmodi vero documenta sic conficiantur, ut non modo sint sed appareant etiam quasi quaedam explanationes et complementa canonum qui idcirco in documentorum contextu peropportune afferentur.

III. Si quando, decursu temporum, Ecclesiae universae bonum postulabit, ut novum generale decretum ab aliqua Sacra Congregatione condatur, ea ipsa decretum conficiat; quod si a Codicis praescriptis dissentiat, Summum Pontificem de ejusmodi discrepantia moneat. Decretum autem, a Pontifice adprobatum, eadem Sacra Congregatio ad Consilium deferat, cujus erit, ad decreti sententiam, canonem vel canones redigere. Si decretum a praescripto Codicis discrepet, Consilium indicet cuinam Codicis legi nova lex sufficienda sit; si in decreto res vertetur, de qua Codex sileat, Consilium constituat, quo loco novus canon vel novi canones sint in Codicem inserendi, numero canonis, qui proxime antecedit, *bis ter*, etc. repetito, ne canon sede sua moveatur

ullus aut numerorum series quoquo pacto perturbetur. Quae omnia, statim post Sacrae Congregationis Decretum in *Acta Apostolicae Sedis* referantur.

Quae Nobis videmur utiliter in hac causa decrevisse, ea omnia et singula, uti decreta sunt, ita rata et firma esse et manere volumus ac jubemus: contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XV mensis Septembris anno MDCCCCXVII, Pontificatus Nostri quarto.

Benedictus PP. XV[1].

49. Nota. Eadem Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos die 9 Dec. 1917 statuit, quoad dubiorum solutionem, respondendum esse tantum dubiis propositis ab Ordinariis, a Superioribus majoribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero iis, quae proponantur a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario[2].

In eadem sessione d. 9 Dec. 1917 eadem Commissio statuit, dubia, quae minoris sint momenti aut non multum difficultatis habeant, solvi posse ab Emo Praeside Commissionis[3].

Sectio III

De Fontibus ab Ecclesia receptis

50. Fontes recepti in genere. Nomine *fontium receptorum* veniunt illi fontes, quos Ecclesia non ipsa constituit (de quibus vide Sectionem praecedentem), neque ita aliunde assumpsit, ut eos tantum proponat, quin ad propriam competentiam eos trahat, aut trahere possit (Vide Sectionem I.), sed quos Ecclesia ita aliunde assumit, et lege etiam generali ad proprium forum deducit, ut eos plane suos faciat, ita ut deinceps fiant verum jus ecclesiasticum[4].

---

[1] Cfr. *Acta Ap. Sedis* IX (1917) p. 483.

[2] Cfr. *Acta Ap. Sedis* X (1918) p. 77; MAROTO in *Comment.* pro *Relig.* I (1920) p. 35 sq.; VERMEERSCH in *Period.* IX (1920) p. 82.

[3] Cfr. *Acta Ap. Sedis* XI (1919) p. 480. nota, ubi prima vice haec dispositio, quae jam d. 9 Dec. 1917 lata fuit, promulgata est. Cfr. MAROTO in *Comment. pro Relig.* I (1920) p. 37 sqq.; VERMEERSCH in *Period.* X (1922) p. 102; *Monitore ecclesiastico.* XXXII (1920). p. 16.

[4] Cfr. passim auctores, ubi de jure civili per canones recepto agunt v. g. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 43; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 379 not. 3 et n. 380; aut de consuetudine facti, quae a competente legislatore ut jus acceptatur, v. g. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 131; WERNZ. *Jus. Decr*[2]. I. n. 188 et 189.

Tales fontes ab Ecclesia recepti, tres antea numerabantur, scil: *dicta SS. Patrum, consuetudo legitima* et *jus civile*[1], hodie vero tantum duo: scil: *consuetudo legitima* et *jus civile*. De *consuetudine*, ut est fons juris, melius dicetur in Commentariis Can. 25 sqq., qui canones diserte agunt de consuetudine. De *Jure civili* statim agemus; quid vero sentiendum sit de *dictis SS. Patrum*, paucis hic assignamus.

51. Dicta SS. Patrum. Quod ad *dicta SS. Patrum* attinet, antea de hisce S. Leo IV (847—855) in Epist. sua ad Episcopos Brittaniae Minoris, postquam commemoraverat canones conciliorum et SS. Pontificum, haec dixerat: „Nam si tale emerserit, vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos (intellige: canones) definiri: tunc si illorum, quorum meministis, dicta, Hieronymi, Augustini, Isidori, vel caeterorum similiter sanctorum Doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda, ac promulganda: vel ad Apostolicam Sedem referendum de talibus[2]."

Ex quibus verbis elucet, olim dicta SS. Patrum in deficientia juris constituti recepta fuisse ut veros fontes juris canonici[3]. Insuper multae sententiae SS. Patrum olim per Concilia et

---

[1] Cfr. *Instit. jur. eccl.* ad usum priv. alumnor. Seminar. Warmund. I. n. 6; DE ANGELIS. *Praelect. Jur. Can.* I. Proleg. n. 2; DESHAYES. *Memento jur. eccl.*[2] p. 2. n. 4. not. 4; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 313, ubi hos fontes vocat fontes *suppletorios* aut *supplementarios*, quod nomen nos supra n. 18 reservavimus pro quodam genere fontium, qui minus proprie fontes dicuntur.

[2] Cfr. c. l. D. XX. MIGNE. P. L. T. 115. col. 667—669; MANSI. *Conc. Coll.* T. 14. col. 882—884; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 2599 (Ed. 1. n. 1977, 2003 2004). Vide quoad lectiones paulo variantes. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 219—221; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. l. Vide etiam principium Gratiani ante c. l. hic cit, ubi sapienter monet, per se doctrinam SS. Patrum non sufficere ad jura condenda aut abroganda, sed ad hoc requiri debitam potestatem in Ecclesia.

[3] Cfr. etiam Can. 1. aut Reg. 1. Conc. Constant. IV (869—870); MANSI. *Conc. Coll.* T. 16. col. 160; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* IV. 1. p. 521; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 179 et not. 3; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Inst. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 42, qui ibid. recte tunc in fine dicebat: „Itaque SS. Patrum scripta in rebus disciplinae sunt Juris Canonici fons subsidiarius, quatenus ubicunque sacri canones silent, scripta SS. Patrum subsidio veniunt, et locum auctoritatemque ecclesiasticae legis obtinent." Vide etiam BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio I. c. 4, ubi n. 2. refert verba Photii in Praefatione Nomocanonis (cfr. infra n. 73): „quae a quibusdam sanctis Patribus privatim . . . dicta sunt, quodammodo canonis formam praestare posse: καί τινα τρόπον κανόνος τύπον περιέχεσθαι δυνάμενα."; CARD. PITRA. *Juris ecclesiastici Graecorum Historia et monumenta* (Romae 1868) II p. 446.

SS. Pontifices directe fuerant ut leges universales assumptae, quo in casu jam non erant meri fontes recepti, sed per auctoritatem Conciliorum et SS. Pontificum fiebant fontes ab Ecclesia constituti[1]. Exinde non mirum quod tam in Ecclesia Orientali (inde a Saec. VI) quam in Ecclesia Occidentali (inde a Saec. X) dicta SS. Patrum in collectionibus canonum recenserentur[2].

In novo Jure vero principium a Leone IV statutum non amplius repetitur et igitur ex Can. 6. n. 6. pro abrogato haberi debet[3]. Quamobrem hodie dicta SS. Patrum tantum adhiberi possunt interdum tamquam *fontes interpretationis* (cfr. supra n. 18 in fine) aut invocari tamquam testimonia traditionis, de qua vide supra n. 31 sqq. aut in casu deficientiae juris constituti justam praebere normam agendi et ita constituere *fontes subsidiarios* eodem modo, quo in Can. 20 in genere hoc adstruitur de omni sententia unanimi constantique doctorum[4]. Vide supra n. 18 in fine.

Hisce praemissis de *Jure civili* nunc agemus et quidem: 1) de *Jure civili in genere;* 2) de Jure civili antiquitus communiter vigente, h. e. de *Jure Romano* et 3) de *Jure civili moderno.*

Caput I

De Jure civili in genere

52. Competentia juris civilis. Quod attinet ad competentiam juris civilis in genere in ordine ad res ecclesiasticas, praemonendum est, Jus civile proprie et per se nullam auctoritatem habere in materia ecclesiastica, nisi in quantum hoc sive expresse sive tacite ipsi concessum fuerit ab Ecclesia; sequitur hoc ex constitutione Ecclesiae in modum societatis perfectae et a Societate civili plane

---

[1] Cfr. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. p. XXXI. sqq.; et II. p. XVIII; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 186; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 370. 1; ZALLINGER. *Instit. Jur. Can.* Lib. subsid. I. c. 8. § 130.

[2] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio I. c. 4. n. 3; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 42 in fine. Vide postea: Pars II. Sectio I. Period I. c. 2 et 5.

[3] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 370. init. et sub 3. Immerito igitur PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] Q. 17. p. 13. not. 2. ea, quae Soglia recte suo tempore ex principio Leonis IV, in textu citato, concluserat, (cfr. p. 67. not 3.) hodie, cum jam abrogatum est hoc principium, adhuc sua facit.

[4] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 370. 3 et n. 371. Vide dein Commentarios in Can. 20.

independentis[1]. Hoc jam suo modo agnovit primus Imperator christianus, Constantinus Magnus, qui non tantum in Concilio Nicaeno I (a. 325) res ecclesiasticas Episcopis determinandas reliquit, sed etiam, cum varii Episcopi ipsi de suis causis supplices libellos obtulissent, ita eosdem allocutus fuisse dicitur: „Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi, et ideo nos a vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate judicium, et vestra jurgia quaecumque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis dii, et conveniens non est ut homo judicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* (Psal. 81. 1.)"[2]

Et quidem propter rationem allegatam Jus civile non tantum incompetens est in rebus mere ecclesiasticis edere leges nocivas Ecclesiae[3], sed etiam in eadem materia caret aucto-

[1] Cfr. *Syllabus* Pii IX. prop. 19 sqq.; 39 sqq.; 68 sqq.; PIUS IX. Encycl. *Quanta cura* d. 8 Dec. 1864; *Conc. Vatic.* Sess. IV. c. 3. n. 4. (SCHNEIDER. *Fontes jur. eccl. novissimi.* p. 29.; p. 35 sqq.; p. 44 sqq.); LEO XIII. Encycl. *Arcanum.* d. 10 Febr. 1880; Encycl. *Immortale Dei.* d. 1 Nov. 1885; Encycl. *Libertas.* d. 20 Jun. 1888; Encycl. *Sapientiae christianae.* d. 10 Jan. 1890. (*Acta Leonis* XIII. Vol. II. p. 10; Vol. V. p. 118; Vol. VIII. p. 212; Vol. X. p. 10.) Vide dein auctores juris publici ecclesiastici supra p. 14 not. 6 cit. Notatu digna sunt etiam verba Imperatoris Justiniani in Nov. VI. Praef. ubi dicit: „Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium et imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam."

[2] Cfr. RUFINUS. *Historia ecclesiastica.* L. I. c. 2 (MIGNE. P. L. T. 21. col. 468); SOZOMENUS. *Ecclesiastica historia.* L. I. c. 17 (MIGNE. P. G. T. 67. col. 913—914). Etsi EUSEBIUS. *Hist. eccl.* L. III. c. 13 (MIGNE. P. G. T. 20. col. 1069—70) haec verba non referat (aliter ac refert MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* II. p. 44. not. 1) non audent tamen HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 427 et not. 2. narrationem Rufini ut improbabilem seponere. Idem quoad substantiam refert GELASIUS CYZICENUS. *Commentarius actorum Concilii Nicaeni.* L. II. c. 8. apud MANSI. *Conc. Coll.* T. II. col. 819—820, cujus tamen scriptoris auctoritas a nonnullis, etsi immerito, ut videtur, in dubium vocatur. Vide HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 392 et not. 5 qui eum defendere conatur; item simpliciter MOURRET. l. c. p. 39. not. 2.

[3] Cfr. c. 7. X. *de constitutionibus.* I. 2; c. 1. D. X. (S. Nicol. I. a. 863); vide JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 2723 (Ed. 1. n. 2054); MIGNE. P. L. T. 119. col. 826; BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 248; c. 1. D. XCVI. (S. Symmachus. circa a. 502) vide JAFFÉ. l. c. ante n. 757 (Ed. 1. ante n. 473); BERARDI. l. c. Pars II. Tom. I. p. 375; c. 5. sqq. D. XCVI; (S. Nicol. I. a. 865); vide JAFFÉ. l. c. n. 2796 (Ed. 1. n. 2111);

ritate edendi leges utiles et plane congruas bono Ecclesiae[1]"; quamobrem, si nonnunquam tales leges, quoad materiam optimae de rebus mere ecclesiasticis latae fuerunt a Principibus christianis et in foro ecclesiastico vim habuerunt[2], id unice repetendum est ex confirmatione sive expressa, sive tacita ex parte Ecclesiae[3]. Si quae autem leges in decursu saeculorum extra hanc veniam aut subsequentem confirmationem Ecclesiae a Potestate civili in rebus mere ecclesiasticis latae fuerunt, a fortiori, si expresse indoli Ecclesiae ejusque ordinationibus adversabantur[4], hoc non de jure,

---

MIGNE. P. L. T. 119. col. 926; BERARDI. l. c. Pars II. Tom. II. p. 262; c. 9. D. XCVI. (S. Gregorius. VII. a. 1081); vide JAFFÉ. l. c. n. 5201 (Ed. 1. n. 3921); BERARDI. l. c. Pars II. Tom. II. p. 347; c. 10. D. XCVI. (adscribitur S. Gelasio, sed proprie est S. Gregorii VII, qui in eadem epistola, unde desumptus est c. 9 h. Dist. citat hic S. Gelasium) cfr. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. 1; BERARDI. l. c. Pars II. Tom. I. p. 332. Sunt verba notissima S. Gelasii a. 494 in epistola ad Anastasium Imperatorem, ubi haec dicit: „Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum et Regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino sunt reddituri examine rationem. . . . Nosti itaque inter haec ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem." Cfr. JAFFÉ. l. c. n. 632 (Ed. 1. n. 387); MIGNE. P. L. T. 56. col. 634; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 31. not. 9.

[1] Cfr. c. 10. X. *de constitutionibus.* I. 2; FAGNANUS. *Comment.* i. h. c. n. 7. sqq.; SUAREZ. *De Leg.* L. IV. c. 11. n. 16 junct. c. n. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 11. IV in fine; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 195. I.

[2] Vide passim Titulos in Codice Justiniani v. g. L. I. Tit. 1. *de summa Trinitate et fide catholica* etc; Tit. 2. *de sacrosanctis ecclesiis* etc; Tit. 3. *de Episcopis et clericis* etc. Vide etiam Novellas 7. *ne res ecclesiasticae alienentur* etc.; 123 *de diversis ecclesiasticis capitibus*; 131. *de ecclesiasticis canonibus* etc.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 11. IV et in notis ibid. Saepe tamen, ut notat BENED. XIV. *De Syn. dioec.* L. IX. c. 14. n. 2 in hisce et similibus legibus Imperatores adjuvarunt ecclesiasticas constitutiones. Cfr. dein SCHERER. l. c. § 12. II de legibus regum Francorum huc pertinentibus; item passim § 45 et § 97 VII; infra n. 54. p. 74 not. 4 de capitularibus regum Francorum.

[3] Cfr. SUAREZ. *De Leg.* L. III. c. 11. n. 10, 11; et partim L. IV. c. 11. n. 13 sqq., praecipue n. 16; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 195. I; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 18 II.

[4] Exempla vide praeterquam apud auctores juris publici ecclesiastici supra p. 14. not. 6 jam cit. apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 12. X, § 13 praesertim V; ibid. etiam passim de *regio placet* sive *exsequatur* i. e. de assensu principis civilis pro actis ecclesiasticis requisito, de quo plura vide apud SCHERER. l. c. § 13 not. 13; p. 42. X, p. 43. I, p. 45. V; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 749—763; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 55. V. not. 4; BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio II. c. 4; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* II. p. 565—569; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 26, qui tamen pro suo *systemate accommodationis*, quo nimias concessiones tribuere solet Societati Civili, nimis

sed ex injuria factum dici debet[1]; quam injuriam Ecclesia saepius fortiter reclamando avertere est conata[2], nonnunquam etiam, non reclamando, mere toleravit, prout adjuncta temporum aut locorum hoc suadebant, ne majus damnum oriretur[3].

Quod hic in genere annotavimus, jam a tempore primorum conflictuum Sacerdotium inter et Imperium, clare testata est Ecclesia, v. g. in celebri epistola Osii, Episcopi Cordubensis (Cordova) in Hispania, quondam in Concilio Nicaeno, legati R. Pontificis, hujusque Concilii praesidis[4] qui in aetate nonaginta annorum

---

generaliter ibid. p. 56 negare videtur jus contrarium Ecclesiae invigilandi pro sua prudentia in acta potestatis civilis quando periculum adesset, ne alias bonum Ecclesiae laederetur. De *systemate accommodationis* Card. Soglia vide adhuc NILLES in *Zeitschr. f. kath. Theol.* I. (1877) p. 283.

[1] In hoc. errarunt i. a. HUGO GROTIUS († 1645) in opere *De Imperio summarum potestatum circa sacra.* (Ed. 4. Hagae Comitis. 1661); PETRUS DE MARCA († 1662) prius viduus, postea Archiep. Paris. designatus, fautor Gallicanismi praecipue in opere: *De concordia sacerdotii et imperii, seu de libertatibus Ecclesiae Gallicanae* (Paris. 1641 et pluries); postquam hoc opus a. 1642 in Indicem relatum fuit, auctor se subjecit; ZEGER BERNARD VAN ESPEN († 1728) Jansenista, sed doctissimus canonista, ab ipso Bened. XIV saepius citatus, in variis operibus, v. g. *Tract. de censuris; De recursu ad Principem; De .... asylo templorum; Concordia immunitatis eccl. et juris regii* et praecipue: *De promulgatione legum ecclesiasticarum*, ubi i. a. Pars II. c. 3. initio de jure placiti regii dicit: „hoc jus Principi vi suae auctoritatis et officii competere" et ibid. § 2 de jure protegendi subditos, vere dicit, sed falso huc jus placiti regii reducens: „hocque jus una cum Regno ipso natum est, et Potestati Regiae tam indivulse connexum, ut Jus hoc a se Princeps nequeat abdicare, nisi una seipsum Principatu exuat." (Z. BERNARD V. ESPEN. *Scripta omnia ... 4 Tomis comprehensa. Jus ecclesiasticum universum ...* Lovanii 1753. Tom. IV. post commentarios in Jus canon. novum et novissimum. p. 137, 138); dein JUSTINUS FEBRONIUS (Joann. Nicol. de Hontheim, Episc. coadjut. Trevirensis † 1790) in opere damnoso: *De Statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus.* (Bullioni 1763; Ed. 3. Francofurti 1789), ubi post dedicationem Clementi XIII (qui a. seq. 1764 hoc opus damnavit) vide ibid. dedicationem Regibus et Principibus christianis ubi auctor sententiam suam falsam pandit. Ejus errores quoad potestatem R. Pontificis egregie refutavit S. ALPHONSUS in opere ficto nomine ab ipso composito: *Vindiciae pro suprema Pontificis potestate adversus Justinum Febronium, opella ab Honorio de Honoriis elucubrata* a. 1768. Vide ejus *Opera dogmatica.* (Vers. Latin. Walter) I. Tr. IV p. 381 sqq.

[2] Cfr. hic acta Conc. Chalced. (a. 451) in sess. 4. in fine; MANSI. *Conc. Coll.* T. VII. col. 86—98, praecipue col. 90; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 714. Plura vide apud SCHÉRER. *Hdb. d. Kirchr.* I. passim v.g. p. 42, not. 48; p. 46. VI; p. 159. III et fontes supra p. 14 not. 6. cit.

[3] Cfr. SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 26. p. 57; VERING. *Lehrb. d. .... Kirchr.*[3] § 61. IV; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 195. I; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. III, IV; § 36. V.

[4] Ita jure tenent HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kir-*

his verbis Imperatorem Constantium (337—361) alloquebatur: „Ego jam pridem confessus sum, cum sub avo tuo Maximiano persecutio grassaretur. Quod si tu quoque me persequare, etiamnum ad quidvis potius tolerandum paratus sum, quod ut innoxium effundam sanguinem, veritatemque prodam ... Crede mihi Constanti, qui per aetatem avus tuus esse possim ... Desine, quaeso te, et memento te mortalem hominem esse: time judicii diem, teque ipse innoxium ad eam diem custodias. Ne te rebus misceas ecclesiasticis; neu nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias: *Reddite*, scriptum est, *quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi habes potestatem"[1].

Haec de *competentia Juris civilis in genere* in ordine ad res ecclesiasticas; plena expositio conditionis Societatis civilis, in rebus mere temporalibus directe independentis, in rebus spiritualibus vero Ecclesiae subjectae, ejusque relationis erga Societatem ecclesiasticam invenitur apud auctores Juris publici ecclesiastici, ad quos hic jure remittimus[2].

---

chengesch.[5] I. p. 387—388; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* II. p. 42 et pro probabiliori habent HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 425 et not. 2.

[1] Cfr. S. ATHANASIUS. *Historia Arianorum.* n. 44. (MIGNE. P. G. T. 25. col. 743 sqq. ubi praeter textum graecum versio latina apponitur, quam supra retuli, etsi in accidentalibus nonnunquam minus correcta sit.) Pergit dein ibid. S. Athanasius. n. 45: „Haec illa fuit Abrahamici senis vere Hosii, id est sancti, sententia: hae illius litterae." Quae suo tempore testatus fuit Osius, nostris temporibus adhuc testantur confessores fidei in persecutione Gubernii Russiaci.

[2] Cfr. auctores supra p. 14. not. 6 cit; insuper PHILLIPS. *Kirchenrecht.* II § 103 sqq.; JOS. HERGENRÖTHER. *Katholische Kirche und christlicher Staat.* (Freiburg 1873); PHILIPP HERGENRÖTHER. *Der Gehorsam gegen die weltliche Obrigkeit und dessen Grenzen.* (Freiburg 1877); FERD. J. MOULART. *L'Église et l'État*[3]. (Louvain 1887); L. RIVET. S. J. *Quaestiones Juris ecclesiatici publici* ad usum privatum auditorum Universitatis Gregorianae. (Romae 1912); ADOLF GIOBBIO. *Lezioni di Diplomazia Ecclesiastica.* (Roma 1899—1901); JOH. B. HARING. *Kirche und Staat* (München 1907). Cfr. verba S. Gregorii II circa a. 729 ad Imperatorem Leonem, qui dixerat: „βασιλεύς καὶ ἱερεύς εἰμι" (Imperator sum et sacerdos): „Quemadmodum pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi, sic neque imperator in ecclesias introspiciendi et electiones in clero peragendi ... ; imperatores, qui pie et in Christo vixerunt, ecclesiarum pontificibus obedire minime recusarunt;" cfr. JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 2182 (Ed. 1. n. 1674);

Caput II

De Jure Romano

53. Notio Juris Romani in genere. Nomine Juris Romani venit jus, quod per plura saecula in populo Romano ejusque ditione fuerat inductum, quodque praecipue collectum invenitur in *Corpore*, quod dicitur *Juris civilis* (antiqui), h. e. in collectionibus Imperatoris Justiniani[1].

Constat autem hoc jus variis elementis, uti sunt: leges, plebiscita, senatusconsulta, constitutiones Principum, edicta magistratuum, auctoritas prudentum et jus consuetudinarium[2]. Viguit hoc jus non tantum in imperio Romano antiquo, sed etiam post diffusionem christianae religionis et exstincto jam Imperio Occidentali in antiquo territorio Romano, etsi novis dominatoribus subjecto, in Imperio Orientali sive Byzantino et dein una cum jure patrio particulari in Sacro Romano Imperio et passim in territoriis huic subjectis[3].

MIGNE. P. L. T. 89. col. 521, 522; item verba S. Gelasii in Ep. ad Anastasium Imp. supra (p. 70 in not.) cit: „quantum ad ordinem publicae pertinet disciplinae ... legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites." Cfr. BEN. XIV. *De Syn. dioec.* L. IX. c. 14. n. 1.

[1] Cfr. FRANC. LAURIN. *Introductio in Corpus Juris Canonici* cum appendice brevem introductionem in Corpus Juris Civilis continente. (Friburgi 1889) p. 235, 273; REIFFENSTUEL. *Jus Can. Univ.* I. Proöem. § 9; SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 6; MODDERMAN (DRUCKER) TICHELAAR. *Handboek voor het Romeinsch Recht*[3]. (Groningen 1900) I. § 1; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrbuch des Römischen Rechts*[14]. (Wien 1862—63) I § 18. Vox *juris civilis* antea communiter confundebatur cum Jure Romano; cfr. LAURIN l. c.; REIFFENSTUEL. l. c. n. 155; MACKELDEY-FRITZ. l. c. I § 97.

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 235—242; OTTO KARLOWA. *Römische Rechtsgeschichte.* I. Staatsrecht und Rechtsquellen. (Leipzig 1885) p. 27 sqq.; p. 425 sqq.; p. 616 sqq.; p. 646 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 25—44; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 16—23.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 265—272; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 29—31; HEINRICH DERNBURG. *Pandekten*[5]. (Berlin 1896) I. § 3 cum not. 4 et § 4, qui ambitum receptionis juris Romani in regionibus Germaniae consuetudine circumscriptum esse dicit. Item MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 93. Potissimum ob influxum Universitatis Bononiensis, ad quam innumeri scholares ex omnibus fere regionibus Europae convenerunt, Jus Romanum in variis regionibus divulgatum fuit et ubi jus patrium non sufficiebat, in usum communem traductum. Cfr. LAURIN. l. c. p. 268; DERNBURG. l. c. § 4 in fine; MACKELDEY-FRITZ. l. c. § 92. Inde effatum: *quidquid non agnoscit glossa* (h. e. in scholis recepta) *non agnoscit curia;* vide LAURIN. l. c. p. 271—272. not. 11; MODDERMAN-TICHELAAR. l. c. § 30, quod effatum alii aliter explicare nituntur; cfr. DERNBURG. l. c. § 4 in fine.

54. Ejus agnitio apud gentes exteras. Exstincto Imperio Occidentali novi dominatores non tantum suis subditis Romanis permiserunt jure Romano vivere[1], sed etiam peculiares Juris Romani collectiones pro ipsis adornaverunt, inter quas praecipue commemorantur *Lex Romana Visigothorum*, sive *Breviarium Alaricianum* ab Alarico II a. 506 publicata et *Lex Romana Burgundionum* intra ann. 516—536 compilata[2]. Imprimis *clerus* inter populos germanicos constitutus non impediebatur, quominus in rebus suis saecularibus jure Romano uteretur, quippe quod solum illi convenire aestimaretur[3]. Attamen eodem tempore populi germanici patrias leges colligere et religioni christianae accommodare coeperunt, inter quas collectiones memorandae veniunt *Lex Salica*, *Lex Ripuaria*, *Lex Burgundionum* et *Lex Visigothorum*, quae etiam nonnullas leges Romanas suis collectionibus inserebant[4].

---

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 266; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 58; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 45. II. Vide hic c. 12 et 13 D. X.; BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 363; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 722 (Ed. 1. n. 402). De lectione incerta can. 13. vide BERARDI. l. c. Pars II. Tom. II. p. 224—225; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. l. et ad not. Corrector. Romanor. i. h. l; JAFFÉ. l. c. n. 2638 (Ed. 1. n. 1993).

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 266; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 950 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 59; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 4 in fine; MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 73. *Lex Romana Visigothorum* edita fuit a * G. HAENEL. (Berlin 1847—1849); *Lex Romana Burgundionum*, quae etiam per errorem *Papianus* vel *Papiani liber responsorum* vocatur (cfr. MASSIMI. l. c.) invenitur apud PERTZ. *Monumenta Germaniae historica* (Ed. in fol. Hannov. 1835. sqq.) Legum Sectio III, 595—624.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 266; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. not. 5 et § 45. II. Ita Lex Ripuaria Tit. 60 (al. 58) § 1 dicebat: „Secundum legem Romanam, qua Ecclesia vivit." Vide SCHERER l. c. not. 5. In c. 28. X. *de privilegiis et excessibus privilegiatorum.* V. 33. Honorius III dicebat. „ . . . quia tamen in Francia et nonnullis provinciis *laici* Romanorum imperatorum legibus non utuntur."

[4] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 265—266; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I § 88; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I n. 229; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 45 II et not. 7—10; ubi etiam variae editiones harum collectionum assignantur; ut plurimum editae reperiuntur apud: PERTZ. *Monumenta Germaniae historica* Sectio: Leges. Exceptionem faciunt leges Anglo-Saxonicae, quae nullum influxum passae sunt a parte Juris Romani. Vide SCHERER. l. c. et not. 11; WERNZ. l. c; MACKELDEY-FRITZ. l. c. § 86. Specialem attentionem hic merentur *Capitularia Regum Francorum*, quo nomine veniunt statuta a Principibus christianis Regni Francorum de rebus civilibus et ecclesiasticis, ut plurimum de consilio Episcoporum, lata. Praecipua collectio horum Capitularium ea est, quae ab ANSEGISO, Abbate Fontanellensi in dioecesi Rhotomagensi

Jus Romanum vigorem, quem in pluribus regionibus habuit, passim retinuit usque ad initium Saec. XIX, quando Codex Napoleonticus in Galliam introductus est (a. 1803 sqq.) et paulatim quoque in Germania (in Borussia jam a. 1794; in Austria a. 1811) et in aliis regionibus proprii Codices civiles apparuerunt[1].

55. Corpus Juris civilis. Imperator JUSTINIANUS (527—565) ex innumeris voluminibus, ubi Jus Romanum collectum reperiebatur, ope peritissimorum jurisconsultorum et praecipue TRIBONIANI, Sacri Palatii Quaestoris seu Cancellarii, novam adornavit collectionem, cui tamquam partem propaedeuticam praemisit Institutiones, sive Juris elementa et cui postmodum recentiores constitutiones quaedam, potissimum ipsius Justiniani apponebantur[2]. Collectio haec vocatur *Corpus Juris Civilis* simpliciter et dividitur prout sequitur.

56. Divisio Corporis Juris civilis. Quatuor dantur partes Corporis Juris civilis et quidem:

I. *Institutiones*, quo nomine venit liber introductorius pro juris studiosis compositus, continens „totius legitimae scientiae prima elementa"[3], sive compendium totius Juris Romani. Opus

(Rouen) a. 827 compilata fuit, in 4 Libros divisa, quorum duo priores capitula ecclesiastica continent Caroli Magni, Ludovici Pii ejusque filii Lotharii, duo reliqui horum capitula civilia. Collectio haec in foro etiam ecclesiastico magnam auctoritatem consecuta est. Cfr. SCHERER. l. c. § 45 II et not. 14; WERNZ. l. c. n. 229; SCHMID in *Kirchenlexikon*[2]. i. v. *Ansegisus*. Optima editio Capitularium prodiit cura Stephani Baluzii Parisiis 1677 et deinceps; eam refert recentior editio MANSI. *Conc. Coll.* T. XVII-bis et XVIII-bis; ibid. T. XVII-bis col. 693 sqq. invenitur etiam collectio laudata Ansegisi. Cfr. etiam MIGNE P. L. T. 97, qui col. 489. sqq. refert collectionem Ansegisi secundum editionem criticam, quam procuravit PERTZ in opere jam. cit. *Monumenta Germaniae historica*. Legum Sectio I. p. 256 sqq.

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 271—272; DERNBURG. *Pandekten*[5]. § 1 et not. 2; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 2. not. 1, ubi notat Jus Romanum in Hollandia abolitum fuisse a. 1809, cum Codex Napoleonticus ibidem introductus fuit; a. 1838 proprius Codex civilis in Hollandia apparuit. Cfr. W. DUYNSTEE CSSR. *Burgerlijk Recht en Zielzorg* (Bussum 1919). p. 3.

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 245 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 60—74; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte*. I. p. 1003. sqq.; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I § 27; DERNBURG. *Pandekten*[5]. § 6—12. Notandum tamen, Jus Romanum nobis non plene nec in sua primitiva constitutione esse conservatum; etenim plura opera juridica Romanorum perierunt et quod in collectionibus Justiniani transmissum est, refert quidem jus Romanum, sed hoc nonnisi immutatum ex influxu tam religionis christianae quam juris Graecorum. Cfr. v. g. ut unum exemplum allegem Tit. 5. *De libertinis*. Lib. I. Institutionum. Vide LAURIN. l. c. p. 260 sqq.; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 20.

[3] Cfr. Prooemium Institutionum. § 4.

hoc ad instar similis operis GAI, jurisconsulti Romani (Saec. II post Chr.) exaratum est. Dividuntur Institutiones in 4 Libros: 1) *De Personis*, tamquam de subjecto juris; 2) et 3) *De Rebus*, tamquam de objecto juris et 4) *De Actionibus* sive *De Judiciis*, tamquam de medio ad jus persequendum. Libri dividuntur in Titulos, Tituli prout materia fert in principium (citatur: *pr.*) et paragraphos. A die 30 Dec. 533 simul cum Digestis (de quibus statim) vim obligandi acceperunt, quia non tantum ut liber didacticus, sed etiam tamquam collectio legalis et authentica publicatae sunt[1]. In citationibus (vide infra n. 57) Institutiones indicantur per litteram *I.* (sive *J.*)[2].

II. *Digesta* sive *Pandectae* (*Πανδέκται α πᾶν* et *δέχομαι* complector, comprehendo, quasi quae omnia comprehendunt) continent fragmenta Juris Romani ex operibus veterum jurisconsultorum desumpta[3]. Fuit opus difficillimum et omnium collectionum princeps, ubi totum Jus Romanum, quemadmodum tunc temporis in usu erat sive quoad jus civile, sive quoad jus honorarium collectum invenitur[4]. Nomina jurisconsultorum unde

---

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 250—252; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 8; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1014 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 67, 68; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 60.

[2] THEOPHILO, uni ex contextoribus Institutionum, qui fuit antecessor (h. e. professor) juris in schola juris Constantinopolitana, adscribitur graeca paraphrasis harum Institutionum, cujus operis editio praecipue notatu digna ea est, quam procuravit vir non minus scientia juris Romani quam sanctitate conspicuus, nempe * CONTARDUS FERRINI sub titulo *Institutionum graeca paraphrasis Theophilo antecessori vulgo tributa.* (1884—1897.) Cfr. MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 28. Decr. S. C. Rit. d. 4—6 Jul. 1922 de introductione ejus causae Beatific. et Canoniz. vide in: *Acta Ap. Sedis* XIV (1922) p. 433.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 246—250; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1006 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 62—66; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 9; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 57—60.

[4] Nomine *juris civilis* in *sensu strictiori* accepti veniebat omne Jus Romanum extra edicta magistratuum existens; nomine *juris honorarii* jus, quod in hisce edictis inveniebatur. Vocabatur *jus honorarium*, quia a personis *honores* gerentibus proveniebat. Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 238; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 32; § 33. not. cc; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 467. Potissimum locum in hoc jure honorario obtinebant edicta praetorum, quare jus honorarium in sensu strictiori vocabatur etiam simpliciter *jus praetorium.* Cfr. § 7. I. *De jure naturali, gentium et civili.* I. 2; fr. 7. D. *De justitia et jure.* I. 1; MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 54. not. 2. Praetor tuebatur bonam fidem; pugnabat contra dolos malos, dabat actionem iis, qui non habebant, negabat iis, qui habebant. Non quod justum erat (h. e. quod

fragmenta desumpta sunt una cum Titulis eorum operum non obstantibus mutationibus jussu Justiniani aliquando in textu appositis, suis locis hic praefixa sunt, ne eorum memoria oblivioni traderetur[1]. Dividuntur Digesta in 50 Libros, libri, prout materia fert in Titulos, tituli in *fragmenta*, quae etiam *leges* dicuntur, quia in collectione publica sive legali inserta sunt (citantur *fr.* vel *l.*) Fragmenta, si paulo longiora sunt, dividuntur in paragraphos et illa particula fragmenti, quae praecedit paragraphum primam, vocatur fragmenti principium (citatur: *pr.*). Publicata sunt tamquam collectio authentica d. 16 Dec. 533 et vim obligandi acceperunt d. 30 Dec. ejusdem anni 533[2]. In citationibus (vide infra n. 57) Digesta indicantur per litteram *D*, antiquitus etiam per litteram *P.* vel *Π* (*Πανδέκται*) vel etiam litteris *ff*, quae secundum nonnullos fuit forma corrupta litterae graecae *Π*, vel litterae Ð linea horizontali per medium trajectae[3].

---

secundum leges erat) sed quod aequum et bonum est prae oculis habebat. Cfr. supra n. 4. p. 12 et not. 4; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 11 et 19.

[1] Cfr. Const. Justin; „*Tanta*" d. 16 Dec. 533. § 10 (l. 2. § 10. C. *De vetere jure enucleando* . . . I. 17); item Const. Justin: „Δέδωκεν" eodem die. § 10 in proöemiis Digestorum; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 246. not. 7. Inter hos jurisconsultos praecipue notatu digni sunt: 1) CAJUS (Saec. II. p. Chr.) cujus *Institutiones* nobis conservatae sunt; 2) ULPIANUS (Saec. III. p. Chr.) cujus *Liber singularis Regularum* imperfecte nobis superest; 3) PAULUS (Saec. III. p. Chr.) cujus *Sententiarum* (*ad filium*) *Libri quinque* mutilati tantum ad nos pervenerunt; 4) PAPINIANUS (Saec. III. p. Chr.) qui fuit martyr Juris sub Caracalla, quia noluit defendere injustam occisionem Getae, fratris Imperatoris, dicens „non tam facile parricidium excusari posse quam fieri" et ita morte sua confirmans ea, quae dixerat (fr. 15. D. *De conditionibus institutionum.* XXVIII. 7.) „quae . . . contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est." A posteris habitus est princeps jurisconsultorum Romanorum, sed cedere debet SABINO (Saec. I. p. Chr.) CELSO (Saec. II. p. Chr.) et praecipue SALVIO JULIANO (Saec. II. p. Chr.). Cfr. MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 67. De hisce jurisconsultis cfr. MASSIMI. l. c. p. 67—69; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 707 sqq. et p. 758 sqq.; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 44—49; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 21 coll. c. § 4. Vide etiam constit. Theodosii II a. 426, de auctoritate legali horum jurisconsultorum saltem ante collectionem Justiniani; l. 3. Cod. Theodosiani I. 4. De Codice Theodosiano vide infra p. 78. not. 2; verba hujus constit. Theodosii referuntur apud LAURIN. l. c. p. 240. not. 1. et MASSIMI. l. c. p. 70. not. 3. Opera citata GAI, ULPIANI et PAULI vide apud RUDOLPH. GNEIST. *Institutionum et Regularum Juris Romani Syntagma*[2]. (Lipsiae 1880.)

[2] Cfr. Const. „*Tanta*" § 23 et Const.: „Δέδωκεν" § 23 cit. in not. praeced.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 248; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 65. not. c; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 20. p. 28. not. B.

III. *Codex Justiniani*[1], quo nomine venit collectio constitutionum imperialium ex tribus codicibus antiquioribus sc. *Gregoriano*, *Hermogeniano* et *Theodosiano*[2] in unum redactarum, additis recentioribus Imperatorum constitutionibus usque ad annum 534. Vocatur etiam *Codex novus* vel *repetitae lectionis*, quia jam ante collectionem Digestorum similis Codex adornatus fuit (*Codex vetus* appellatus) qui tamen, cum emendari et compleri deberet, per novum Codicem prorsus abrogatus est[3] et dein penitus deperiit[4]. Codex novus, qui d. 29 Dec. 534 ut authentica collectio vim habere coepit[5] dividitur in 12 Libros, qui subdividuntur in Titulos in quorum singulis *leges* sive *constitutiones* (inde citatio *l.* vel *c*) ad illum titulum spectantes, ordine chronologico ab Hadriano (117 — 138) usque ad Justinianum a. 534 apponuntur. Constitutiones de regula referuntur sub nomine Imperatorum, a quo datae sunt, non obstantibus mutationibus ex auctoritate Justiniani ibidem aliquando appositis[6], et, si longiores sunt, subdividuntur in princi-

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 245—246 et p. 252—255; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 10; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 61 et § 69—70; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1003—1006 et p. 1016 sqq.

[2] GREGORIANUS et HERMOGENIANUS (non GREGORIUS et HERMOGENES), jurisconsulti Romani, a quibus hi Codices nomen suum sortiti sunt, jam antea constitutiones imperiales in unum redegerunt, prior sub Imperatore Diocletiano (284—305) et alter intra ann. 314—324 aut forte circa a. 365. Fuerunt collectiones privatae dum *Codex Theodosianus*, jussu THEODOSII II (408—450) a. 438 editus, authentica collectio fuit, comprehendens constitutiones imperiales, ordine chronologico dispositas, at saepe interpolatas inde a Constantino Magno (306—337) usque ad tempora dicti Theodosii II anno 438. Dividitur in 16 Libros, in Titulos distinctos. Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 242—244; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 54, 55; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 941—947; p. 959 sqq.; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 4. p. 11; MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 71. Collectiones antejustinianae editae sunt in opere quod dicitur: * *Corpus Juris Romani Antejustiniani consilio professorum Bonnensium.* (Bonnae 1837—1844.)

[3] Cfr. Const. Justin: „*Cordi nobis*" d. 16 Nov. 534. § 4, 5. in proöemiis Codicis. Simul ibid. abrogatae sunt omnes praecedentes collectiones constitutionum, quas ceteroquin antea jam Codex vetus abrogaverat et in specie Codicem Gregorianum, Hermogenianum et Theodosianum. Cfr. Const. Justin: „*Summa reipublicae*" d. 8. April 529. § 3 in proöemiis Codicis.

[4] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 246; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 61; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 61.

[5] Cfr. Const. cit in not. 3: „*Cordi nobis.*" § 4. in proöemiis Codicis.

[6] Cfr. Const. cit. in not. 3 „*Cordi nobis*" § 3. in proöemiis Codicis; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 252—254.

pium et paragraphos, uti supra (II) de fragmentis Digestorum observatum est. Codex citatur per litteram *C*, uti infra (n. 57) notatur[1].

IV. *Novellae* (subintellige: Constitutiones), quo nomine veniunt constitutiones imperiales post publicationem Codicis Justiniani editae et postmodum in variis collectionibus simul congregatae[2]. Harum collectionum tres praecipue commemorantur, quarum prima vulgo dicitur *Epitome Juliani*, sive *Epitome Novellarum* quia temporibus ipsius Imperatoris Justiniani, Julianus, antecessor (h. e. professor) in schola juris Constantinopolitana 124 Novellas in compendium redegit pro Italia destinatum et hinc lingua latina confectum[3]. Secunda collectio, pariter tempore Justiniani adornata, dicitur *Authenticum* (sive *Authentica* in pl. sive *Authenticae* — subaudi Constitutiones) quia non compendium sed plenum textum 134 Novellarum partim lingua graeca et partim lingua latina exhibet[4]. Haec collectio in sua originaria forma ad nos non pervenit sed in forma aliquantum mutata, ita ut Novellas graecas in versione latina tantum et hac quidem obscura et minus apta nobis exhibeat. In hac forma primum Bononiae circa annum 1100 haec collectio innotuit et vocatur etiam ratione aliarum versionum *versio vulgata*[5]. Tertia collectio est ea, quae prodiit temporibus Imperatoris Tiberii II (578—582), quaeque 168 No-

---

[1] Voluit Justinianus, ut qui juris studia peragerent, primo anno incumberent studio Institutionum et per reliquam partem primi anni et per tres annos subsequentes studio Digestorum, quinto anno autem studio Codicis. Cfr. Const. Justin: „*Omnem reipublicae*" d. 16 Dec. 533. § 2—5. in proöemiis Digestorum.

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 255—260; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 11; KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1018—1022; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 71—73; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27.

[3] Haec collectio citatur in Decreto Gratiani: c. 11. C. II. q. 1; cfr. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. 1; BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars III. p. 374. Item in c. 30. C. XXVII. q. 1; cfr. FRIEDBERG. l. c. i. h. 1; BERARDI. l. c. p. 381.

[4] Ita LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 256; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 72 et not. c. Aliter KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1021—1022 et DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 11 qui post * ZACHARIA v. LINGENTHAL. *Zur Geschichte des Authenticum* . . . in den Sitzungsber. der Berliner Akademie. 1882. 2. p. 995 pro probabiliori habent nomen: „*Authenticum*" designare collectionem seu potius versionem authenticam jussu Justiniani confectam.

[5] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 256; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 72; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 11; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 61.

vellas continet sub nomine Justiniani, quamquam non omnes sunt reapse Novellae hujus Imperatoris[1]. Haec ultima collectio, potissimum secundum dispositionem ab ANTONIO CONTIO (le Conte) Canonista Gallo a. 1571 introductam communiter in editionibus Corporis Juris Civilis invenitur et antiquitus dividebatur in 9 Collationes et in Titulos[2]. Hodie vero, relicta divisione antea facta in Collationes et Titulos, Novellae communiter dividuntur tantum per numerum Novellarum[3]; singulae Novellae autem in praefationem, capita et epilogum et si capita longiora sunt, haec iterum dividuntur in principium et paragraphos. Secundum sententiam communem prima et tertia collectio sunt privatae auctoritatis; de natura vero secundae collectionis, uti supra (p. 79 not 4) vidimus disputatur[4]. Citantur Novellae per abbreviationem: „*Nov*" vel „*Auth*" (i. e. Authentica), uti n. sq. notatur.

57. Modus citandi. Relictis diversis modis ab antiquioribus usitatis dabimus hic modum citandi pro diversis partibus Corporis Juris Civilis hodie communiter receptum[5].

I. *Institutiones*: pr. vel § 1. I (aut J) *De justitia et jure.* I. 1; vel simpliciter: pr. vel § 1. I. (J). I. 1; h. e. principium vel § 1. Institutionum, Libri I. Tituli 1, qui Titulus inscribitur: *De justitia et jure.*

II. *Digesta*; fr. (vel l. h. e. lex) 1. pr. vel § 1. D (vel Dig) vel

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 257 et 259; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 71 et not. d; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 11.

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 258; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 71 in fine; § 102 not. bbb; attamen idem auctor § 72 not. d. ait collectionem (secundam), quae dicitur „*Authentica*" pariter vulgo in editionibus Corporis Juris Civilis inveniri.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 259; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 73.

[4] Cfr. MASSIMI. *Introd. in Gai et Justin. Instit.* p. 77; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 259 in fine; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 71 et not. c; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 61; dein DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 11 fere initio coll. cum iis, quae ibid. dicit n. (non. not.) 2; item KARLOWA. *Röm. Rechtsgeschichte.* I. p. 1020 in fine qui ibid. paulo dissentire videtur ab iis, quae p. 1021—1022 occasione collectionis dictae „*Authentica*" dicit.

[5] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 246—259 passim; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 65, 68, 70, 73; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 7; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. Locis citatis passim etiam modus citandi antiquorum assignatur; quocirca notandum est, antiquos saepius prima verba tantum paragraphi una cum abbreviatione Titulorum citasse, omissis numeris Librorum et Titulorum. Ope indicis alphabetici Titulorum in fine harum collectionum appositi, numeri Librorum et Titulorum inveniri possunt.

ff. *De justitia et jure.* I. 1; vel simpliciter: fr. l. pr. vel § 1. D. I. 1: h. e. principium vel § 1 fragmenti primi Digestorum, Libri I, Tituli 1, qui Titulus inscribitur *De justitia et jure*[1].

III. *Codex*: 1. (vel c: h. e. constitutio) 1. pr. vel § 1. C (vel Cod.) *De Summa Trinitate et fide catholica.* etc. I. 1; vel simpliciter; 1. 1. pr. vel § 1. C. I. 1: h. e. principium vel § 1 legis primae Codicis, Libri, I, Tituli 1, qui Titulus inscribitur: *De Summa Trinitate et fide catholica.* etc.

IV. *Novellae*: Nov. I. vel Auth. I. praef. vel epil. vel c. 1 (pr. vel § 1): h. e. Novellae vel Authenticae I. praefatio vel epilogus vel caput 1. (principium vel § 1).

En igitur brevem modum citandi singulas partes Corporis Juris Civilis:

I. *Institutiones*: § 1. I (J). I. 1.
II. *Digesta.* fr. 1. § 2 D. (ff) I. 1.
III. *Codex*: 1. 1. § 2. C. I. 1.
IV. *Novellae*: Nov. I. c. 1. § 1.[2].

---

[1] Libri XXX, XXXI et XXXII Digestorum, qui Tractatum *de legatis et fideicommissis* continent non dividuntur in Titulos sed tantum in leges sive fragmenta. Citantur autem ita, ut vel Liber Digestorum vel Liber (I, II aut III) ipsius Tractatus indicetur; v. g. fr. 1. D. *De legatis et fideicommissis.* XXX. aut I; fr. 1. D. *De legatis et fideicommissis.* XXXI. aut. II. Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 249; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 65; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 7. p. 15. not. 2.

[2] Inter editiones Corporis Juris Civilis sufficit hic notare editionem criticam, quam adornarunt ALBERTUS et MAURITIUS, fratres KRIEGELII, qui *Institutiones* et *Digesta* ediderunt, continuavit AEMILIUS HERRMANN qui *Codicem* paravit, absolvit EDUARDUS OSENBRÜGGEN, qui *Novellas* edidit in duplici lectione scil. textu graeco et *versione vulgata*, ambo adhuc modo doctiori quam Fratres KRIEGELII. (Ed. stereotypa. Lipsiae saepius v. g. 1833—1843 3 vol. i. 4.). Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 275; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 105. A. n. 9 coll. c. § 101 in fine et § 102. n. 10; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27. p. 62; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 7. n. 2. Optima editio est, quam procurarunt P. KRÜGER, TH. MOMMSEN et R. SCHÖLL. (Ed. stereotypa. Berlini 1872 sqq. et pluries); et quidem *Institutiones* et *Codicem* recognovit P. KRÜGER; *Digesta* TH. MOMMSEN; *Novellas* R. SCHÖLL; opus absolvit G. KROLL. Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 275—276; DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 7; MODDERMAN-TICHELAAR. *Handb. v. h. Rom. Recht*[3]. I. § 27, p. 62. Tamquam appendices saepe Corpori Juris Civilis adjiciuntur 13 Edicta Justiniani, et Duo Libri Feudorum, quo nomine veniunt consuetudines feudales longobardicae ab Imperatoribus Romano-Germanicis editae, Saec. XII. scripto consignatae, de quibus, uti et de aliis additamentis Corporis Juris Civilis vide LAURIN. l. c. p. 273, coll. c. p. 269. not. 2; MACKELDEY-FRITZ. l. c. § 103.

58. Jus Romanum olim fons receptus. Jus Romanum, quod hic descripsimus, jam christiane redditum, antea ab Ecclesia non tantum quoad plures leges speciales directe assumptum erat, sed etiam generaliter ipso usu et dein lege expressa receptum erat tamquam verus fons existendi juris canonici pro iis casibus, in quibus in legislatione ecclesiastica regula certa et clara deficiebat[1]. Id jam dudum ante leges scriptas patebat ex praxi Ecclesiae, quae in casu deficientiae juris ab Ecclesia ipsa constituti, sponte recurrebat ad leges civiles Romanas, sibi jam ab ipsis suis incunabilis in foro civili familiares[2]. Ita v. g. S. Gregorius M. non tantum ipse saepius in suis epistolis leges civiles Romanas adhibuit, sed easdem etiam Episcopis aliisque judicibus ecclesiasticis proposuit, quibus in causis ecclesiasticis uterentur[3]. Clarius hoc innotuit ex responso Lucii III (1181—1185), qui cum aliquando controversia orta esset inter duas ecclesias ob capellae cujusdam aedificationem, et dubium haberetur, num in iis, in quibus non provisum esset per sacros canones, recurri posset ad jus civile (Romanum) ibidem existens, diserte hoc principium generale statuit: „Sicut (humanae) leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum . . . principum constitutionibus adjuvantur[4]“. Et

---

[1] Cfr. Bened. XIV. *De Synod. dioec.* L. IX. c. 14; S. Alph. *Theol. Mor.* I. n. 106. Q. 3 in fine; Soglia-Vecchiotti. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 43. Scherer. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. I et § 51. II; Wernz. *Jus. Decr.*[2] I. n. 195. II; Laurin. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 262—263.

[2] Cfr. Soglia-Vecchiotti. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 43.

[3] Cfr. Bened. XIV. *De Synod. dioec.* L. IX. c. 14. n. 1. et 4. Praecipue hoc elucet ex epist. S. Gregorii ad Joannem, Defensorem euntem in Hispaniam. Cfr. c. 7. C. II q. 1; c. 38 C. XI. q. 1; c. 3. C. XVI. q. 6. coll. c. l. 10. C. *de episcopis et clericis* . . I. 3; l. 20. C. (*de his*) *qui accusare non possunt.* IX. 1; Nov. 123. c. 19 et 21; Jaffé. *Regesta*[2]. n. 1912 (Ed. 1. n. 1530); Migne. P. L. T. 77. col. 1294—1301. Authentia hujus Epistolae aut harum Epistolarum, quae etiam propter leges imperiales inibi contentas *capitularia* dicuntur, a Berardi. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 94 nimis critice, ut videtur, partim in dubium vocatur.

[4] Cfr. c. l. X. *de novi operis nunciatione.* V. 32, ubi Glossa in v. „adjuvantur“ notat: „Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiam si canones deficiant, possit judicari secundum leges.“ Item Nicolaus de Tudeschis O. S. B. Abbas S. Mariae Maniacensis in Sicilia, postea Archiepiscopus Panormitanus (inde nonnunquam „Abbas“ aut „Abbas Siculus“ vulgo autem „Panormitanus“ dictus) in suis Commentariis ad hoc caput n. 3. dicit: „causa ecclesiae debet decidi per jus civile in defectum Canonum; omnes n. leges principum non contradicentes canonibus sunt approbatae per ecclesiam, ut patet hic et ad hoc solet quotidie allegari iste tex(tus)“. Quin imo in c. l. X. *de sententia et re judicata.* II. 27. dicitur: „Sententia contra leges canonesve prolata . . . non potest . . . subsistere

ita, quod jam antea saepe locum habuit, inde a tempore Lucii III tamquam regula expressa habebatur, quod nempe Jus Romanum, exclusis iis, in quibus ab Ecclesia sive implicite, sive explicite correctum aut reprobatum fuit[1], in casu deficientiae juris canonici, tamquam fons existendi juris ecclesiastici *receptum fuerit*, sive ut ajunt canonistae, *canonizatum*[2].

Neque hoc mirabitur, qui consideraverit, ex una parte Ecclesiam sub imperio Romano natam fuisse ejusque juri jam ab ipsis suis incunabilis assuetam[3], ex altera parte Jus Romanum in sua constitutione tam admirabile fuisse, ut merito vocari possit *ratio scripta* et insigne veteris sapientiae monumentum[4].

59. Jus Romanum fons exemplaris. Neque tantum ut fons existendi juris canonici ab Ecclesia *receptum* erat, sed etiam pro iis, quae ab Ecclesia ipsa constituta erant et adhuc sunt, Jus Romanum saepius *exempla* aut *elementa* praebuit, ita ut plura instituta juridica ex integro vel quoad magnam eorum partem ex Jure Romano desumpta sint aut ad instar Juris Romani in Jure Canonico fuerint efformata, uti patet v. g. in iis, quae praescripta erant, aut adhuc sunt, quoad domicilium, praescriptionem,

---

ipso jure." Sunt verba S. GREGORII M. in *Registro Epistolarum.* L. III. Ep. 6; MIGNE. P. L. T. 77. col. 608, ubi per „*leges*" intelliguntur leges civiles, pari modo ac in cap. citato: c. 1. X. *de novi operis nunciatione* V. 32. ubi dicitur: „negotium ipsum secundum legum et canonum statuta non differas terminare". Cfr. etiam S. Rom. Rota in causa *Biturgen.* 27 April 1917; *Acta Ap. Scdis* IX (1917) p. 549.

[1] Cfr. BEN. XV. Const. „*Providentissima Mater*" initio Codicis; BEN. XIV. *De Syn. dioec.* L. IX. c. 10—14, ubi diserte agit de legibus expresse et tacite approbatis, correctis et reprobatis; S. ALPH. *Theol. Mor.* I. n. 106. Q. 3. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 261 et not. 2 et p. 262 et not. 1; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 44.

[2] Cfr. etiam c. 28. X. *de privilegiis et excessibus privilegiatorum.* V. 33: „licet sancta ecclesia legum saecularium non respuat famulatum, quae aequitatis et justitiae vestigia imitantur", ubi Honorius III probabilius loquitur de receptione juris civilis Romani et non tantum de auxilio a parte legum saecularium Ecclesiae praestito, uti videtur hoc intelligere SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. not. 7. Mirum est, quomodo HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 777. not. 1. in medio, hanc doctrinam de receptione Juris civilis Romani olim facta negare possit. Fatendum quidem, progressu temporis, cum jus canonicum magis magisque perficeretur et ad omnes fere materias juridicas sese extenderet, hujus juris exiguum mansisse usum, uti merito notat WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 195. II, non tamen sensim obsolevisse, uti voluit SCHERER. l. c. § 34. I. in fine.

[3] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* I. §. 33. Ipse S. Paulus ad Jus Romanum nonnunquam appellavit; cfr. Act Ap. XXII. 25 sqq.; Gal. IV. 1. sqq.; Hebr. IX. 17.

[4] Cfr. BEN. XV. Const. „*Providentissima Mater*" initio Codicis.

legitimationem, ordinem judiciarium et sic porro[1]. Quin imo ipse ordo et methodus, quibus utitur Jus Canonicum, praxis in schola et in foro ecclesiastico usitata, afferendi etiam probationes ex Jure Romano, necnon terminologia ipsa canonica a Jure Romano saepius desumpta[2], intimum nexum Jus Canonicum inter et Jus Romanum ostendunt et magnum hujus in illud influxum. Unde adagium: „Ecclesia vivit jure Romano[3]".

Ex sua parte vero Ecclesia Jus Romanum „temperavit, correctumque christiane perfecit[4]"; quare jam dudum propter mutuam relationem Jus Canonicum inter et Jus Romanum apud canonistas hoc alterum vigebat adagium: „Legista sine canonibus parum valet, canonista sine legibus nihil[5]".

---

[1] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 262; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 44; D'ANNIBALE. *Summula Theol. Mor.*[5] I. n. 201. not. 13. Vide etiam regulas Juris in fine Libri VI Bonifacii VIII appositas et ex Jure Romano desumptas. Tamquam exemplum antea adhuc afferebatur impedimentum cognationis legalis, olim omnino a Jure Romano desumptum, de quo hodie vide Can. 1059 et 1080. Item tempus centum annorum pro praescriptione contra bona Ecclesiae Romanae hodie adhuc requisitum (cfr. Can. 1511. § 1) videtur a Jure Romano derivari. Vide c. 17. C. XVI. q. 3, ubi Joannes VIII circa a. 873 loquens de privilegiis S. Rom. Ecclesiae dicit.: „Sed venerandae Romanae leges divinitus per ora piorum Principum promulgatae, rerum ejus praescriptionem non nisi per centum annos admittunt. Cfr. JAFFÉ. *Regesta*[2] n. 2970 (Ed. 1. n. 2247); l. 23. C. *de sacrosanctis ecclesiis.* I. 2. et Nov. 9; sed vide explicationem, quam affert BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 289—290, qui hanc legem unice repetit a jure Decretalium et quidem a c. 2. *de praescriptionibus.* II. 13. in VI; ast c. 14. X. *de praescriptionibus.* II. 26. ad quod etiam remittit Can. 1511. § 1 Codicis, diserte dicit: „Licet tam *legali* quam canonica sit diffinitione statutum, ut contra Romanam ecclesiam, quae gaudet privilegio speciali, nonnisi centum annorum praescriptio locum sibi valeat vindicare." Quin imo in gravissimis canonicis institutis, uti in ipsa suppletione jurisdictionis, de qua prima vice in Codice Can. 209 invenitur lex expressa, antea secundum interpretationem doctorum unice Jus Romanum fons existebat in fr. 3. D. *de officio praetorum.* I. 14 in celebri lege: „Barbarius". Cfr. S. ALPH. *Theol. Mor.* L. VI. n. 572 et auctores ibid. cit; dict. Gratiani ad c. 1. C. III. q. 7.

[2] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Can.* p. 262. not. 2. et p. 263.

[3] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. not. 1; AICHNER-FRIEDLE. *Compend. Jur. Eccl.*[11] p. 14. not. 2. Inde Lex Ripuaria Tit. 60 (al. 58) § 1 in genere dicebat: „Secundum legem Romanam, qua Ecclesia vivit." Vide supra p. 73. not. 3, ubi hoc etiam allegavimus ad indicandum quo jure Ecclesia in ipsis causis civilibus uteretur.

[4] Cfr. BEN. XV. Const. „*Providentissima Mater*" initio Codicis; GULIELM. SANFELICE. *Fundamenta Juris Canonici* (Sarni 1878) II § 35 sqq.

[5] Cfr. FAGNANUS. *Comment.* ad c. 10. „Super specula". X. *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* III. 50; n. 30; MELCHIOR CANUS. *De locis theolog.* L. X. c. 8; D'ANNIBALE. *Summula Theol. Mor.*[5]

Olim quidem R. R. Pontifices studium Juris Romani in Universitatibus viris religiosis et compluribus etiam clericis interdixerunt; attamen hoc circumstantiis specialibus adscribendum erat, ne studium S. Theologiae inde negligeretur, aut via ad saecularia officia clericis et religiosis panderetur[1]. Ceterum mutatis circumstantiis, R. R. Pontifices non tantum studium Juris Romani foverunt, sed ipsi etiam in suis Universitatibus cathedram hujus juris erexerunt[2], et pro Auditoribus S. Romanae Rotae in Can. 1598 § 2 statuerunt, ut sint sacerdotes „laurea doctorali in utroque saltem jure praediti".

60. Jus Romanum in novo Codice. Quod nunc ad jus novum attinet, principium a Lucio III statutum (cfr. supra n. 58) ibidem non amplius repetitur; quare cessat deinceps Jus Romanum ut fons receptus in Jure Canonico valere; manent tamen ejus vestigia etiam in Jure novo, praecipue in Libro IV, qui *de Processibus* agit[3]; quamobrem ut *fons exemplaris*, ut *fons interpretationis* et partim ut *fons subsidiarius* in sensu supra (n. 18. versus finem) exposito, in novo Jure etiam existere pergit. Insuper quae n. praecedenti diximus de ordine et methodo, de terminologia et usu Juris Romani in Jure ecclesiastico receptis, partim etiam in novo Jure adhuc valent; quapropter studium Juris Romani saltem pro profundiori intelligentia canonum et hodie adhuc necessarium erit[4].

I. n. 16. not. 4; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 264. not. 1; S. Rom. Rota in causa *Biturgen.* 27 April 1917; *Acta Ap. Sedis* IX (1917) p. 549. n. 22.

[1] Cfr. c. 3 et c. 10. X. *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* III. 50; c. 28. X. *de privilegiis et excessibus privilegiatorum.* V. 33. De sensu, quo olim hoc vetitum intelligi deberet cfr. FAGNANUS. *Comment.* ad c. 10 cit. „Super specula" n. 36 sqq.; BARBOSA. *Collectan. Doct.* ad c. cit. n. 2 sqq.; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 264—265.

[2] Cfr. LEO XII. Const. „*Quod divina sapientia*" d. 28 Aug. 1824. n. 209; *Bullar. Rom. contin.* T. XVI. p. 101—102; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 60; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 388 et in not. 3.

[3] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 262. Ita ait MARIANUS DE LUCA S. J. *Praelectiones Juris Canonici* (Romae 1897—98) I. n. 29. IV: „Adde totum libr. II Decret. (qui hodie est L. IV. Codicis) non posse explicari, neque generatim nomenclaturam quam appellant juridicam penitus intelligi nisi ad jus civile recurratur." Eodem modo loquitur SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I § 34. not. 3.

[4] Cfr. adhuc BEN. XIV. *De Syn. dioec.* L. XIII. c. 10. n. 12; D'ANNIBALE. *Summula Theol. Mor.*[5] I. n. 16. Vestigia Juris Romani spiritu christiano imbuti etiam in Codicibus civilibus modernis permanserunt; cogita v. g. institutum legitimationis, de quo vide in Codice civili Gallico art. 331 sqq.; in Cod. civ. Germanico § 1719 sqq.; in Cod. civ. Neerland. art. 327 sqq. Cfr. DEVILLE. *Le droit canon et le droit naturel* p. 135.

Caput III

De Jure civili moderno

61. Jus modernum partim fons receptus. Quoad receptionem Juris civilis extra Jus Romanum existentis ante Codicem jam disputabatur, num principium a Lucio III statutum etiam valeret pro jure civili extra Jus Romanum olim in pluribus regionibus vigente et postea ubique in ejus locum suffecto[1]. Quidam id affirmabant, uti v. g. Card. d'Annibale[2], alii probabilius id negabant, uti inter alios Wernz[3]. Remissa vero hac disputatione antea non spernenda, hodie in novo Jure nulla exstat regula, ex qua eruitur, Jus civile modernum in genere uti fontem Juris Canonici esse receptum; tantum pro nonnullis casibus particularibus diserte hoc statuitur (v. g. in Can. 33 § 2 pro tempore urgendi contractus; Can. 1059 et 1080 de adoptione; Can. 1508; 1513 § 2; 1520 § 1;

---

[1] Quidem ex jure Germanico Ecclesia quasdam leges juri suo accommodavit v. g. de computandis gradibus consanguinitatis. Cfr. Wernz. *Jus Decr.*[2] I. n. 195 II; Scherer. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 34. I et not. 2; Laemmer. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 65 et not. 3; Phillips. *Kirchenrecht.* I. p. 34. Directe etiam olim a Jure Canonico recepta sive canonizata fuit Const. Friderici II: „*In hac die*" (vulgo, omisso exordio, citata a verbis: „*Hac edictali lege*") edita d. 22 Nov. 1220 et ab Honorio III eodem die recepta et postea suae collectioni, quae Compilatio V audit, inserta. Cfr. infra Pars II. Sectio I. Period. II. c. 2. sub num: *Compilatio quinta.* A Friderico II haec constitutio etiam transmissa fuit Doctoribus Bononiensibus, ut eam Codici Justinianeo insererent. Cfr. Laurin. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 123 et not. 2 coll. c. p. 270; Scherer. l. c. § 51. not. 16.

[2] Argumenta ab ipso allegata, ex rationibus et fine legis antiquae petita vide in ejus *Summula Theol. Mor.*[5] I. n. 201. not. 12. Huic sententiae calculum etiam adjecit ipsa Rom. Rota in parte expositiva (cfr. supra n. 42 et 46) in causa *Biturgen.* 27 April. 1917; *Acta Ap. Sedis.* IX (1917) p. 549—550. n. 22 et 23.

[3] Cfr. *Jus Decr.*[2] I. n. 195 II et not. 130, ubi probationes a cl. d'Annibale adductae refutantur et rationes ab ipso assignatas tantum valere ostenditur pro consuetudinibus particularibus (uti pro Hispania admitti potest; ibid. not. 129) et pro possibilitate legis generalis *ferendae*, non pro lege generali certo antea jam *lata* in favorem Juris civilis moderni. Cum Wernz sentiunt Maroto. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 381; Bouix *Tr. de Judiciis ecclesiasticis* T. I. Pars I. Sectio I. c. 4 in fine; Lombardi. *Jur. Can. priv. Instit.*[2] I. p. 46 et 47 et canonista (idem Lombardi) S. C. Conc. in causa *Parisien.* 28. Febr. 1903; *Analecta ecclesiastica* (Romae 1893 sqq.) XI (1903) p. 163; item practice S. C. Ep. et Reg. in Decr. 22 Mart. 1898; *Anal. eccl.* VI (1898) p. 146 coll. c. expositione canonistae S. C. Conc. in causa *Lublin.* 22. Aug. 1896; *Anal. eccl.* IV (1896) p. 393 sqq.

1523 n. 2; 1529 de bonis temporalibus Ecclesiae), qui casus ad alios non similes aut non connexos non sunt ad exemplum trahendi[1]. Ad summum pro quibusdam legibus aut institutis canonicis in novo Jure recenter inductis Jus civile modernum aliquando invocari posset ut *fons exemplaris* aut *fons interpretationis*, in quantum forte exemplum praebuit pro novo Jure constituendo aut huic constituto subsidium interpretationis afferre potest[2]. Quodsi quis et hic applicare vellet verba Can. 20: „Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est . . . . *a generalibus juris principiis* cum aequitate canonica servatis", non proprie invocaret Jus civile modernum, quod particulare audit, sed tantum principia generalissima utrique Juri, cum Civili, tum Canonico communia[3]. Quia vero ad Jus civile modernum nonnunquam in Codice remittitur et insuper haec scientia est affinis Juri Canonico, merito a perito canonista requiritur, ut in hac scientia sit etiam sufficienter instructus[4]. Ex altera parte studium Juris Canonici multum etiam juvare potest cultores Juris civilis, non tantum propter influxum, quem Ecclesia decursu saeculorum habuit in evolutionem juris singularum nationum[5] sed etiam ex eo, quod multa instituta canonica in Jus

---

[1] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 383, 384; VERMEERSCH-CREUSEN. *Epit. Jur. Can.* I. n. 73; BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. p. 37. Hic auctor tamen immerito in partiali receptione juris civilis moderni confirmationem vidit sententiae d'Annibale, quasi antea jam canonizatio Juris Romani ad jus modernum traducenda esset. Nimis generaliter etiam CHAS. AUGUSTINE O. S. B. *A commentary on the new Code of Canon Law* (St. Louis. Mo. 1918 sqq.) I p. 100 dicit, nullas leges civiles in Codice esse canonizatas.

[2] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 382, 383.

[3] Cfr. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 385; VERMEERSCH-CREUSEN. *Epit. Jur. Can.* I. n. 72. Alii tamen, uti TOSO. *Ad Codicem Juris Canonici commentaria minora* (Tiberini. Romae 1921) I.[2] p. 62, 63; AUGUSTINE. *A commentary.* I. p. 100 sub nomine „juris" hic intelligunt tantum jus canonicum.

[4] Cfr. WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 60; *Ordinamento dei Seminari* (e Congr. dei. Semin. e delle Univ. d. studi) (Roma 1920) p. 34. Huic studio inservire possunt v. g. pro Jure Gallico. ALLEGRE-LAURENT. *Le Code civil commenté à l'usage du clergé*[8]. (Paris 1902); pro Jure Germanico AUG. LEHMKUHL S. J. *Das Bürgerliche Gesetzbuch des Deutschen Reiches.* (Freiburg. Br. 1899); pro Jure Neerlandico W. DUYNSTEE CSSR. *Burgerlijk Recht en Zielzorg.* (Bussum 1919.)

[5] Cfr. Ben. XV. Const. „*Providentissima Mater*" initio Codicis; LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can. p.* 263. not. 3; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 6 in fine; DEVILLE. *Le droit canon et le droit naturel* p. 135. sqq.

civile, etiam modernum, transierint[1] et dein scientia ipsa canonica, ut species disciplinae juridicae, sit affinis scientiae Juris civilis[2].

Pars II

De Fontibus cognoscendi juris canonici

62. Notio. Ex iis, quae supra n. 18 vidimus, patet, nomine *fontis cognoscendi* juris canonici venire varia media, per quae cognitio alicujus legis ecclesiasticae ad nos pervenit et potissimum quidem varias sedes, varia loca et repertoria, ubi jus canonicum contentum aut simul collectum invenitur. Et ita quidem ipsi fontes existendi juris canonici, de quibus in Parte I locuti sumus, sub alio respectu etiam considerari possunt tamquam fontes cognoscendi juris canonici, in quantum nempe simul sunt medium pro cognitione juris (cfr. supra n. 18)[3]. Sic v. g. traditio oralis, rescriptum pontificium, vivae vocis oraculum et alia hujusmodi simul considerari possunt ut fontes existendi et ut fontes cognoscendi juris canonici. Quod applicari licet cum fontibus ab Ecclesia propositis, tum fontibus ab Ecclesia constitutis et etiam receptis. Quia vero ex iis, quae supra in Parte I. Sectionib. 1 et 3. vidimus de fontibus ab Ecclesia *propositis* aut *receptis* sufficienter jam elucet, quomodo hi ipsi fontes fiant medium pro cognitione juris[4], tantum hic

[1] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 56. V. not. 41 coll. c. § 34, III. not. 10; DEVILLE. *Le droit canon et le Droit naturel.* p. 137 sqq. Praecipue hoc valet de modo instruendi processus. Cfr. supra n. 10 in fine et not 5; CONSTANTIN HOHENLOHE O. S. B. *Beiträge zum Einflusse des kanonischen Rechts auf Strafrecht und Prozeßrecht.* (Innsbruck 1918); DEVILLE. l. c. p. 146—151.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 19 IV; JOANN. CHELODI. *Jus de Personis.* (Tridenti 1922) n. 11. In Jure Germanico Jus Canonicum, saltem Corpus Juris Canonici, et Jus Tridentinum, saltem partim, ex usu forensi inter fontes juris civilis recepta fuerunt Cfr. DERNBURG. *Pandekten*[5]. I. § 13. Ita etiam legitur in: **Reichshofrathsordnung* v. Jahr. 1654. Tit. 7. § 24: „So sollen . . . das Corpus Juris Civilis et Canonici . . . auf der Reichshofrathstafel, damit man sich deren in zweifelhaften Fällen gebrauchen könne, stets vorhanden sein". Cfr. SCHERER. l. c. § 56. V. not. 41; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 7 in fine et not. 3; LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 65 et not. 2.

[3] Inde AUGUSTINE. *A Commentary.* I. p. 12—18 sub Titulo: „*Fontes cognoscendi*" breviter pertractat eos fontes, quos nos sub Titulo *De Fontibus existendi juris canonici* recensuimus.

[4] Pro jure divino, sive naturali, sive positivo cfr. supra n. 21—26 et partim n. 29—34 et auctores ibid. citat. Insuper pro jure divino positivo adhuc remitti potest ad auctores interpretes S. Scripturae, v. g. *Cursus completus Scripturae Sacrae auctoribus. . . . Soc. Jesu presbyteris* (Parisiis 1885 sqq.); *Études Bibliques* (Paris 1903 sqq.); *Scripta Pontificii Instituti*

agemus de fontibus cognoscendi juris canonici, *in quantum hoc jus ab Ecclesia ipsa constitutum est* et quidem de *collectionibus* ejus, quia ibi communiter hoc jus contentum reperitur[1]. Quamobrem de hisce collectionibus, praesertim, prout jus commune respiciunt, hic agemus, simul historicam evolutionem harum collectionem subnectentes[2].

Verum quidem est, collectiones, quas hic pertractabimus, non semper continere jus hodiedum adhuc vigens; attamen in tantum adhuc inserviunt vigenti legislationi, in quantum aut idem jus referunt, quod sive explicite, sive implicite in novo Jure continetur (Cfr. Can. 6. n. 6.) aut medium subministrant interpretationis pro Jure adhuc vigente (Cfr. Can. 6. n. 2—4.) aut saltem multum conferunt ad historiam Juris penitius cognoscendam[3]. Insuper jam supra n. 13—14 vidimus, quomodo pro iis, qui profundiori studio Textus Juris Canonici incumbunt, maxime in Lycaeis et in Universitatibus catholicis, studium evolutionis historicae hujus Juris necessaria, ne dicam praescripta sit.

63. Divisio[4]. Multipici ex capite *fontes cognoscendi juris canonici sive collectiones*, de quibus agimus, dividuntur; et quidem praeter divisiones supra jam n. 20 quoad *fontes existendi juris canonici* relatas, quae etiam hic applicari possunt, v. g. collectiones

---

Biblici (Romae 1912—13 sqq.); HADRIAN. SIMON CSSR. *Praelectiones Biblicae ad usum scholarum* (Matriti 1920 sqq.). Quoad Jus civile sufficere possunt ea, quae supra inde a n. 53 sqq. de collectionibus Juris Romani exposuimus, remittendo pro Jure civili moderno ad varios codices uniuscujusque nationis et commentarios in eos adornatos. Cfr. supra p. 87 not. 4.

[1] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 196. I, ubi merito dicit: „Universa igitur inquisitio de fontibus cognoscendi hoc loco reducitur ad disputationem *de collectionibus juris ecclesiastici*"; Item BIEDERLACK. *Jus eccl. privat.* § 2. p. 6; CHELODI. *Jus de Personis.* n. 40; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 21.

[2] Propter indolem historicam hujus disquisitionis plures integrum hunc tractatum expungunt ex Titulo: *De Fontibus Juris Canonici* et eum referunt sub Titulo: *De historica evolutione Juris Canonici.* Ita v. g. BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars III; SANGUINETI. *Jur. eccl. Instit.*[4] Pars prior; Sectio 1. et 2; pariter MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 31 sqq. (vide etiam ibid. n. 312. p. 371 not. 1); minus apte, ut videtur hic auctor Titulum: *De Fontibus Juris Canonici* post Titulum sextum Libri primi Codicis ut Titulum septimum additicium apposuit.

[3] Cfr. CHELODI. *Jus de Personis.* n. 40 in fine; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 21; PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] L. I. c. 4. initio. Non aliam utique ob causam CARD. GASPARRI in *Praefatione* Codici praeposita historiam harum collectionum descripsit.

[4] Cfr. LOMBARDI. *Jur. Can. priv. Instit.*[2] I. p. 104—107; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46. I; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 196. II. MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 36; 37; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 22.

juris universalis et *particularis*, triplex potissimum divisio hic consideranda occurrit, scil:

I. Ratione *methodi* sive *ordinis*, quo inveniuntur compositae, collectiones dividuntur in *chronologicas* et *systematicas*. *Chronologicae* sunt illae, quae canones referunt secundum tempus, quo a legitima auctoritate sunt conditi; *systematicae*, quae canones exhibent sub variis titulis secundum eorum materiam sive naturam juridicam distinctos[1].

II. Ratione *fidei*, quam merentur, collectiones dividuntur in *genuinas* sive *authenticas* et *spurias* sive *apocryphas*. Fides autem haec sub duplici respectu considerari potest, sive quoad *auctorem*, cui attribuitur collectio, sive quoad *materiam*, quae in ea continetur. Quoad *auctorem genuina* sive *authentica*[2] dicitur collectio, quae ab eo auctore est confecta, cui adscribitur; *spuria*[3] sive *apocrypha*[4], quae falso auctori attribuitur. Quoad *materiam genuina* sive *authentica* dicitur collectio, quae quoad substantiam veras leges continet, *spuria* sive *apocrypha*, quae falsas leges refert, vel eas quoad substantiam corruptas. Collectio spuria quoad materiam communiter talis etiam erit quoad auctorem; collectio autem, quae tantum spuria est quoad auctorem nonnun-

---

[1] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 2—5.

[2] *Authenticus* sive *authenticum* (αὐθεντικὸς ab αὐτὸς et ἔντος sive plur. τὰ ἔντεα(η), arma, instrumenta) apud Jurisconsultos dicitur id, quod auctoritatem indubitatam et legitimam habet, qualia sunt instrumenta, quae vulgo dicimus originalia. Ita FACCIOLATI-FORCELLINI. *Lexicon.* i. h. v.; item BARNABAS BRISSONIUS. *De Verborum, quae ad Jus pertinent significatione.* (Francofurti 1683) i. h. v; cfr. fr. 4. et 8 D. *Familiae erciscundae.* X. 2; fr. 2. coll. c. 1. D. *De fide instrumentorum.* XXII. 4; fr. 12. D. *Testamenta quemadmodum aperiantur* ... XXIX. 3; l. 9. C. *De diversis officiis* ... XII. 60. Praeter instrumenta originalia latiori sensu adhuc dicuntur authentica ea apographa, de quorum conformitate cum autographis constat; constare autem de ea potest sive per testimonium competentis auctoritatis, sive per examen privatum. Cfr. RUDOLPHUS CORNELY S. J. *Historica et critica Introductio in U. T. Libros Sacros.* (Parisiis 1885 Ed. 2. 1894.) I. n. 100. Item CORNELY-HAGEN S. J. *Historicae et criticae introductionis in U. T. Libros sacros compendium*[8]. (Parisiis 1914). p. 68.

[3] *Spurius* (a graeco σπόρος seminatio, semen et σπείρω sero) idem est ac illegitimus et quidem proprie a patre incerto genitus. Cfr. FACCIOLATI-FORCELLINI. *Lexicon.* i. h. v.; BRISSONIUS. *De verborum ... significatione.* i. h. v; § 12. I. *De nuptiis.* I. 10; fr. 23. D. *De statu hominum.* I. 5.

[4] *Apocryphus* (ab ἀποκρύπτω abscondo, occulto) proprie dicitur liber, cujus auctor ignoratur. Cfr. FACCIOLATI-FORCELLINI. *Lexicon.* i. h. v. Apud Scripturisticos est liber, qui falso creditur divinus. Cfr. CORNELY-HAGEN. *Hist. .... Introd. in U. T. Libr. compend.*[8] p. 50.

quam etiam vocatur non tam spuria quam quidem *pseudepigrapha*[1], cum collectio genuina quoad auctorem sed spuria quoad materiam communiter etiam vocetur *simpliciter spuria* et non genuina[2].

III. Ratione *auctoritatis legalis*, qua gaudent, collectiones dividuntur in *privatas* et *publicas* sive *legales*, quae etiam nonnunquam dicuntur *authenticae*. *Privatae* sunt, quae ab hominibus privatis confectae sunt, nec ullo modo postea a competente auctoritate confirmatae[3]. *Publicae* sunt, quae cum interventu quodam legitimae auctoritatis sunt confectae aut saltem publicatae aut postquam a viro privato confectae sunt aut publicatae, postea a competente auctoritate expresse sive tacite sunt confirmatae[4]. Hae collectiones publicae aut sunt *stricte tales* aut *minus stricte*.

Stricte publica aut *stricte authentica* sub respectu auctoritatis legalis dicitur collectio, quae ut talis h. e. qua collectio[5] omnimodam codicis legalis auctoritatem a competente legislatore consecuta est, cujus proinde partes dispositivae, etsi alias forte spuriae tamen vi ipsius insertionis in codicem auctoritate legali per se fruuntur[6]. Quodsi dein haec collectio ita confirmatur, ut non tantum ut codex

---

[1] *Pseudepigraphus*, uti eadem vox graeca Ψευδεπίγραφος innuit, significat proprie falso nomini inscriptum.

[2] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 196. II. d.; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 36. B; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 22.

[3] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 2, 7. sqq. Exemplum habetur in collectione Declarationum ac Resolutionum S. C. Conc. addita editioni canonum et decretorum Conc. Trid. publicatae ab AEMIL. RICHTER et FRIDER. SCHULTE in opere, quod inscribitur: *Canones et Decreta Concilii Tridentini ... accedunt S. ... Conc. Trid. ... Declarationes ac Resolutiones.* (Lipsiae 1853).

[4] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 196. II. e; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 36. C. et 37; BLAT. *Comment. Text. Cod.* I. n. 22; BADII. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 30. a).

[5] Diximus: „*qua collectio*", quia etiam de collectione privata aut minus stricte publica historice aut scientifice constare posset, quod omnes ejus partes sint authenticae, uti habetur v. g. in *Extravagantibus Joannis XXII* et *Extravagantibus communibus*. Cfr. infra Sectio I. Period. II. c. 6; attamen eo ipso talis collectio nondum *qua collectio* stricto sensu authentica est. Cfr. CARD. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 13. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 196 in fine; LOMBARDI. *Jur. Can. priv. Instit.*[2] I. p. 106—107; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 37. a).

[6] Tamquam exempla allegari possunt: *Acta Sanctae Sedis* inde a Volum. XXXVII (Romae 1904—05) ex Declaratione Pii X. d. 23 Maji 1904. (Ibid. in initio cit. Volum.); *Acta Apostolicae Sedis*; necnon *Pii X. Pontificis Maximi Acta.* Vol. I—V (Romae 1905—1914) ex declaratione *Secretariae Status* d. 26 Dec. 1913. Vide *Acta Ap. Sedis.* V (1913) p. 558. Aliud exemplum habetur in Tomo I *Bullarii Bened. XIV.* Cfr. infra Sectio I. Period. III. c. 3. sub num: *Bullarium Bened. XIV.*

legalis, sed etiam ut codex universalis haberi debeat, collectio haec dicitur *authentica et universalis* et partes ipsius, etsi alias forte leges particulares, vi ipsius insertionis in codicem factae sunt leges universales[1].

Minus stricte publica sive *authentica lato sensu* dicitur collectio, cui conficiendae, aut publicandae aut saltem approbandae aliquo modo quidem intervenit publica potestas, sed ita, ut singulae ejus partes eam tantummodo auctoritatem retinuerint quam ex sese et extra collectionem haberent. Interventus, quem intendimus, haberi potest vel collectionem *imprimi ac divulgari permittendo*[2], vel eam *commendando* aut *approbando*[3], vel *ex officio definiendo textum* collectionis, *addita prohibitione*, ne in aliis editionibus *a privatis hominibus immutetur*[4]. Quin imo huc referri debet approbatio, qua tantum declaratur, documenta in collectione contenta esse *genuina*, quo in casu proprie sola eorum fides historica a publica auctoritate recognoscitur, sed non ipsa insertione in collectionem nova vis juridica ipsis adjicitur[5].

---

[1] Ita accidit in *Decretalibus Gregorii IX, Bonifacii VIII* et in *Constitutionibus Clementis V.* (Cfr. infra Sectio I. Period. II. c. 3—5) et in *novo Codice.*

[2] Ita accidit in multis *Bullariis*, de quibus infra: Sectio I. Period. III. c. 3, necnon in pluribus *collectionibus S. S. Congr. Rom*, de quibus infra Sectio I. Period. III. c. 4, v. g. in collectione *S. Congr. Episcoporum et Regularium* a BIZARRI, quondam hujus S. Congr. Secretarii et dein Card. Praef. publicata, quae collectio inscribitur: *Collectanea in usum Secretariae S. Congr. Episcoporum et Regularium* (Romae 1885/1886). Idem applica quibusdam *versionibus canonum Codicis* Juris Canonici, qui *religiones laicales* respiciunt. Sunt versiones Italiana, Gallica, Anglica, Hispanica et Germanica. Cfr. Dubium *S. C. de Relig.* d. 2 April. 1919; *Acta Ap. Sedis.* XI (1919) p. 179. Pari modo communiter minus stricte publicae tantum erunt collectiones, quae publicantur cum venia requisita a Can. 1387—1389.

[3] Hoc applicare licet variis collectionibus Actorum S. Sedis, inter quas tamquam exemplum allegari possunt: *Acta Pontificia.* . . . (Romae 1903 sqq.). Cfr. Epistola Pontificia d. 4 Julii 1904; ibid. Vol. II. p. 81.

[4] Exemplum potissimum habetur in *Decreto Gratiani* et in *Extravagantibus Joannis XXII* et *Extravagantibus communibus*, prout assumpta fuerunt in editionem Romanam Corporis Juris Canonici a Gregorio XIII approbatam, addita prohibitione, ne deinceps textus ille a privatis hominibus immutaretur; nonobstante hac prohibitione collectiones hae manserunt in eodem vigore, quem antea habebant. Cfr. CARD. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 7, 13; infra Period. II. c. 1, 6 et 7.

[5] Tamquam exemplum allegari possunt nonnullae collectiones Indulgentiarum de quibus vide infra Period. III. c. 4. sub num. *Collectiones (veteris). S. Congr. Indulgentiarum* v. g. collectio indulgentiarum, quae invenitur in opere praeclaro: *Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch.* (BERINGER-HILGERS-STEINEN. Ed. 15. Paderborn 1921—22 a S. Poenit. Ap. approbata); vide approbationes S. C. Indulg. his verbis: „quoad indulgentias authenticam recognovit" prioribus editionibus (puta Ed. 13. a. 1906) appositas.

Hisce praemissis de collectionibus, quae jus commune potissimum respiciunt, hic agemus, sive sint *publicae*, sive *privatae*, sive etiam, eruditionis causa, *spuriae*. More canonistarum sequemur hic ordinem chronologicum; et primum quidem dicemus de *collectionibus ante novum Codicem exaratis* et dein *de ipso novo Codice*.

Sectio I
De Collectionibus Juris Canonici ante novum Codicem exaratis

64. Divisio. Collectiones Juris Canonici *ante novum Codicem exaratae* communiter in tres periodos dividuntur, quarum prima se extendit ab initio Ecclesiae usque ad Gratianum (circa 1150), altera a Gratiano usque ad Tridentinum (1545), et tertia a Tridentino usque ad novum Codicem[1]. De singulis hisce periodis nunc agemus.

Periodus I
De Collectionibus Juris Canonici ab initio Ecclesiae usque ad Gratianum (circa 1150)

Caput I
De Collectionibus pseudo-apostolicis

65. Notio et divisio. Nomine collectionum *pseudo-apostolicarum* veniunt quaedam collectiones prioribus saeculis adornatae, quae falso adscribebantur Apostolis, quia videbantur ab ipsis esse compositae aut saltem continere jus apostolicum. Etsi hae collectiones inter fontes *apocryphos*, aut saltem *pseudepigraphos* recenseri debeant, tamen demptis erroribus sua utilitate non carent, quia testantur nobis jus antiquum et aliqualem influxum etiam in forum ecclesiasticum et in evolutionem canonicam habuerunt. Plures apud scriptores Historiae ecclesiasticae et Scientiae Biblicae commemorantur, sed quinque potissimum etiam a canonistis tractari merentur[2], nimirum: 1) *Doctrina duodecim Apostolorum*; 2) *Didascalia Apostolorum*; 3) *Canones ecclesiastici SS. Apostolorum*; 4) *Constitutiones SS. Apostolorum*; 5) *Canones Apostolorum*. De singulis pro scopo nostro quaedam dicemus.

[1] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praefatione* initio Codicis. alin. 1.

[2] Inde vide apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 42. IV—VI; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 200 et not. ibid; MAROTO. *Instit. Jur. Can.*[2] I. n. 38—44; CHELODI. *Jus de Personis.* n. 41. Cfr. etiam sed pro statu scientiae tunc vigentis; PHILLIPS *Kirchenrecht.* IV. § 167. p. 9—12; SOGLIA-VECCHIOTTI. *Instit. Jur. publ. et priv. eccl.*[10] § 46—49; BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars II. Sectio I. c. 3. § 2, 3.

66. Doctrina duodecim Apostolorum. (*Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων*) Libellus hic, scriptoribus antiquis non ignotus[1], sed dein deperditus, nostra aetate iterum repertus est in quodam conventu Constantinopolitano a Philotheo Bryennios, Metropolita schismatico Nicomediae et ab ipso anno 1883 una cum commentariis editus[2]. Ab ignoto quodam auctore versus finem Saec. I. in Syria aut in Palaestina confectus esse dicitur, quia tota indoles hujus libelli omnino convenit cum statu primitivo Ecclesiae[3] et insuper jam cognitus erat auctori Pseudo-epistolae S. Barnabae (circa finem Saec. I), qui etiam, uti Didache et cum manifesta dependentia ab ipsa[4], sub metaphora „duarum viarum, vitae et mortis" describit, quid hominem Christianum deceat, quid dedeceat. Dividitur in 16 capita et tractat i. a. de Baptismo et de SS. Eucharistia, de jejunio et oratione, de episcopis et diaconis et in genere de primitiva disciplina Ecclesiae[5].

---

[1] Cfr. EUSEBIUS. *Hist. eccl.* L. III. c. 25. (MIGNE. P. G. T. 20. col. 269—270); S. ATHANASIUS. *Epistolae Heortasticae* (Festales). Epist. 39. (MIGNE. P. G. T. 26. col. 1437—38).

[2] Cfr. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* I. § 9. n. 1. et 4; Idem in *Patrologie*[3]. § 6. n. 1. et 4; FUNK. *Patres Apostolici*[2]. I. p. XVII, XVIII.

[3] Ita i. a. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* I. § 9. n. 2; FUNK. *Patres Apostolici*[2]. I. p. XIII. Cfr. etiam FUNK. *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 108 sqq. Ipse Bryennios assignaverat annos 120—160. (Cfr. BARDENHEWER. l. c.). HARNACK in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Untersuch.* II. 1—2; Prolegomena p. 158 sqq. et in specie p. 167—170 tamquam patriam assignat Aegyptum et quoad tempus variat intra annos 120 aut 140 et 165. Item HARNACK in ALBERT HAUCK. *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*[3]. (Leipzig 1896. sqq.) I. p. 722. Vide etiam FUNK contra HARNACK in *Theologische Quartalschrift* (Tübingen). 1897. p. 636 sqq.

[4] Cfr. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* I. § 9. p. 79—80 et not. 1; et § 10; FUNK. *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 107 et 111, ubi etiam probatur non Didachen imitatam fuisse Pseudo-Epist. S. Barnabae sed vice versa.

[5] Textus multoties editus est et invenitur praeterquam in editione principe ipsius * BRYENNIOS (Constantinopoli 1883) i. a. apud HARNACK in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Untersuch.* II. 1—2, una cum versione germanica; insuper apud FUNK. *Patres Apostolici.*[2] I. p. 2. sqq. ubi una cum textu originali graeco etiam versio latina datur; dein apud HANS LIETZMANN. *Die Didache.* (Bonn 1903) et JOSEPH SCHLECHT. ΔΙΔΑΧΗ ΤΩΝ ΔΩΔΕΚΑ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ (Friburgi MCM) aliosque. Plures etiam versiones apparuerunt, v. g. praeter versionem germanicam jam citatam, versio gallica prodiit a * BONET-MAURY. *La doctrine des douze apôtres.* (Parisiis 1884), versio neerlandica a A. M. C. VAN COOTH in *De Katholiek* ('s. Gravenhage. 1842 sqq.: dein Leiden. Utrecht) Vol. 86 (1884). p. 58 sqq. et proprie a. p. 216 sqq. et p. 286 sqq.

67. Didascalia Apostolorum. Hoc nomine venit libellus majoris molis quam Didache, qui sub forma epistolae tamquam ab Apostolis post Concilium Hierosolymitanum datae in 26 Capitibus disserit de variis materiis disciplinae christianae[1]. Ex testimonio peritorum Saec. III in Syria vel in Palaestina ab ignoto quodam auctore conscriptus esse perhibetur, quia status Ecclesiae, qui ibi describitur, huic tempori et loco magis convenire videtur[2]; textus primitivus graecus deperiit, sed duplici versione nobis est traditus, scil: syriaca[3] et, quoad magnam partem etiam, latina[4]. Nostra aetate plures versiones etiam in linguis vernaculis apparuerunt[5].

68. Canones ecclesiastici SS. Apostolorum. Libellus hic, in quo Apostoli loquentes introducuntur (Joannes dixit .... Petrus dixit ....) complectitur tantum 30 canones, ubi in priori parte repetitur doctrina duarum viarum in *Didache* descripta et in altera traduntur quaedam praecepta disciplinaria. Saec. III ab ignoto quodam auctore conscriptus esse videtur[6] et quidem probabiliter

---

[1] Divisio in 26 Capita probabilius non debetur primitivo auctori. Cfr. BARDENHEWER. *Gesch d. altkirchl. Lit.* II. § 69. p. 255.

[2] Cfr. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. § 69. p. 259—260; FUNK. pluries v. g. in *Kirchengesch. Abhandl.* III. p. 275 sqq. et praesertim in *Didascalia et Constitutiones Apostolorum.* (Paderborn 1905), HARNACK in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Unters.* II. 1—2, p. 242 et not. 3; Idem. *Die Quellen der sogenannten Apostolischen Kirchenordnung* in *Texte u. Unters.* II. 5. p. 76; HANS ACHELIS u. JOHS. FLEMMING in *Die Syrische Didaskalia* in *Texte u. Unters.* XXV. 2. (Neue Folge X. 2) p. 364, 366 et 377. S. EPIPHANIUS († 403) videtur remittere ad Didascalia in opere suo *Adversus octoginta Haereses* sive *Panarium.* Lib. 45 in fine et Lib. 70. n. 10 sqq. (Cfr. MIGNE. P. G. T. 41. col. 835, 836; T. 42. col. 355, 356 sqq. coll. c. T. I. col. 543—546.)

[3] Inventa et edita fuit a * P. DE LAGARDE. *Didascalia Apostolorum Syriace.* (Lipsiae 1854).

[4] Inventa et edita fuit ab * HAULER. *Didascaliae Apostolorum fragmenta Veronensia latina.* (Lipsiae 1900).

[5] Cfr. v. g. versio germanica a JOH. FLEMMING in *Die Syrische Didascalia* in *Text u. Unters.* XXV. 2. (Neue Folge. X. 2); versio gallica a F. NAU. *La Didascalie des douze Apotres*[2]. (Paris 1912); versio anglica a * MRS. GIBSON. *The Didascalia Apostolorum in English translat.* (London 1903).

[6] Ita communiter; etenim jam mentio fit de Lectoratu (ibid. in Can. 19), sed non de aliis Ordinibus minoribus; cfr. KNÖPFLER. *Lehrb. d. Kirchengesch.*[6] § 39. n. 3. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. § 70. p. 265 assignat ann. 300; HARNACK magis tenet primum dimidium Saec. IV; cfr. *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Unters.* II. 1—2. p. 218—219; ACHELIS in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 733 praefert Saec. III; FUNK post plures haesitationes in *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 236 sqq. praefert alterum dimidium Saec. IV. (ibid. p. 249—250).

in Aegypto, ubi praecipue fuit in usu aut forte in Syria[1]. A primo editore Joh. Bickell, qui a. 1843 libellum hunc ex codice Vindobonensi Saec. XII edidit appellatus fuit: *Ordinatio ecclesiastica apostolica* (*Apostolische Kirchenordnung*[2]). Videtur hic libellus non ignotus fuisse antiquis quibusdam scriptoribus, sed sub alio nomine ab ipsis citari, v. g: „*Duae viae*", „*Judicium Petri*" aut secundum alios: „*Judicium secundum Petrum*"[3].

69. Constitutiones Apostolorum. Collectio haec constat 8 Libris, qui B. Clementi Romano adscribuntur et quorum 6 priores non sunt nisi prolixa quaedam recensio collectionis „*Didascalia*", de qua in n. 67 egimus. Liber septimus in priori parte exhibet paraphrasin Doctrinae XII Apostolorum et in altera parte varias formulas precum. Liber octavus praesertim peculiaris momenti est, quia continet plures praescriptiones et formulas liturgicas. In fine tandem, saltem in multis codicibus, adjiciuntur 85 Canones Apostolorum, de quibus statim in n. seq. agemus. In Capp. 12 et 16—35 Libri octavi singuli Apostoli loquentes inducuntur (*διατασσόμαι, κ. τ. λ.*: constituo etc.) unde nomen *Διατάξεις* sive *Διαταγαί* ad universam compilationem translatum est. Videtur hic Liber octavus relationem quandam habere cum aliis operibus similibus inter quae memorantur: *Ordinatio ecclesiastica Aegyptiaca, Constitutiones per Hippolytum* et *Canones Hippolyti*; sed de hac re-

---

[1] Cfr. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. § 70. p. 267, 268, qui Syriam praefert, propter *Octateuchum Clementinum*, qui libellum nostrum saltem partim continet et in Syria multum divulgatus fuit. Nomine autem *Octateuchi Clementini* venit codex quidam S. Clementi Rom. suppositus et in 8 Libros divisus. (Cfr. BARDENHEWER. l. c.). HARNACK praefert Aegyptum in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Unters.* II. 1—2. p. 220; item ACHELIS in *Realencykl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 733; FUNK in *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 250, 251 inter Syriam et Aegyptum anceps haeret.

[2] Cfr. etiam HARNACK in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Unters.* II. 1—2. p. 193 sqq.; Idem in *Die Quellen der sogenannten Apostolischen Kirchenordnung* in *Texte u. Unters.* II. 5. In Codice Vindobonensi inscribebatur: „Αἱ διαταγαὶ αἱ διὰ Κλήμεντος καὶ κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων." Primitiva inscriptio vero videtur tantum fuisse: „κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων." Ipse textus invenitur i. a. apud CARDIN. PITRA. *Juris eccl. Graec. Hist. et Monum.* I. p. 77 sqq.; item apud HARNACK in *Die Lehre der zwölf Apostel* in *Texte u. Unters.* II. 1—2. p. 225 sqq.

[3] Cfr. RUFINUS. *Commentarius in Symbolum Apostolorum.* c. 38. (MIGNE. P. L. T. 21. col. 374); S. HIERONYMUS. *De Viris illustribus.* c. 1. (MIGNE. P. L. T. 23. col. 609—10); KRAWUTZCKY in *Theol. Quartal.* (Tübingen) 1882. p. 359 sqq., 360 in not; BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. § 70. p. 266. et not. 1.

latione adhuc disputant doctores[1]. Tota compilatio, cujus testimonium antiquissimum nobis jam exstat in Saec. V[2], orta esse videtur ineunte Saec. V, quia continet hierarchiam ordinis jam plene evolutam cum Ordinibus Minoribus Cantoratus[3], Ostiariatus et Lectoratus (ibid. Lib. II. c. 28), et insuper dat normas copiosas construendi basilicas et exercendi in iis functiones liturgicas (ibid. Lib. II. c. 57)[4]. Secundum sententiam probabiliorem ab uno eodemque redactore compilata est et quidem probabiliter in Syria[5]. Sat magnam in Ecclesia Orientali haec collectio nacta est celebritatem, nonobstante canone 2 Concilii Trullani (a. 692), ubi tamquam ab haereticis corrupta rejiciebatur[6]; in Ecclesia Occidentali vero nunquam consecuta est auctoritatem legalem[7].

[1] Cfr. FUNK. *Die Apostolischen Konstitutionen.* (Rottenburg 1891); Idem *Didascalia et Constitutiones Apostolorum.* (Paderborn 1905); Idem in *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 359 sqq.; III. p. 64 sqq.; 362 sqq.; 380, 381 sqq.; 398. Idem etiam in *Das Testament unseres Herrn und die verwandten Schriften.* (Mainz 1901), qui prioritatem Constitutionum defendit et memorata (supra in textu) opera ab illis pendere dicit, cum e contra ACHELIS in *Die Canones Hippolyti* in *Texte u. Unters.* VI. 4. (cfr. ibid. Anhang I. de opere Hippolyti περὶ χαρισμάτων p. 269 sqq. et 280 in fine) et idem in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 734 sqq. dependentiam deprehendit in Constitutionibus easque citatis operibus postponit. Vide etiam BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. §. 81. p. 542 et ibid. p. 496 sqq. de S. Hippolyto († 235) ejusque operibus. Est unicus antipapa, qui tamquam sanctus ab Ecclesia colitur, (SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 42 not. 10) postquam Ecclesiae reconciliatus fuit et tamquam martyr una cum vero Summo Pontifice S. Pontiano, qui paulo ante abdicaverat, in Sardiniae insula occubuit. Non vero fuit primus antipapa, quia jam paulo ante quidam Natalis ab Ebionitis antipapa creatus erat. Cfr. BARDENHEWER. l. c. p. 501. et not. 1. et p. 502.

[2] Cfr. FUNK. *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 361.

[3] Cantoratus in Ecclesia Maronitarum et Syrorum, etiam unita, hodiedum adhuc est primus inter Ordines Minores. Cfr. WERNZ. *Jus. Decr.*[2] II. Pars I. n. 17 et not. 38; S. MANY. S. Sulp. *Praelectiones de Sacra Ordinatione.* (Parisiis 1905) p. 36; PETR. GASPARRI. *Tractatus canonicus de Sacra Ordinatione.* (Parisiis 1893—94) I. n. 16. et not. 1.

[4] Cfr. FUNK. *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 359, sqq.; ACHELIS in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 734—35.

[5] Cfr. FUNK. *Kirchengesch. Abhandl.* II. p. 360—362; BARDENHEWER. *Patrologie*[3] § 83 n. 2.

[6] Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. XI. col. 939—940. Inter errores, qui in Constitutionibus Apostolorum inveniuntur, notari possunt sequentes; v. g. S. Jacobus, frater Domini e numero Apostolorum expunctus est (Lib. VI. c. 12 cfr. etiam Lib. VIII. c. 35) et e contra Philippus diaconus Apostolis annumeratur (Lib. VI. c. 7; sed vide ibid. Lib. VIII. c. 46 in fine); baptismus haereticorum dicitur invalidus (Lib. VI. c. 15); quartum conjugium fornicationi aequiparatur (Lib. III. c. 2).

[7] Cfr. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 83 n. 3 in fine. Textus invenitur i. a. apud MIGNE. P. G. T. 1. col. 509 et 555, 556 sqq., excepto

70. Canones Apostolorum. Hoc nomine venit collectio 85 canonum, qui pari modo, uti Constitutiones Apostolorum a B. Clemente Romano traditi dicuntur, quique praecipue sese referunt circa electionem, ordinationem et officia clericorum. De eorum indole apocrypha, quam jam antea notissimum decretum Gelasianum *de libris recipiendis et non recipiendis* pronuntiaverat[1],

Cap. ultimo i. e. 47. Libri VIII. ubi secundum multos codices referuntur 85 canones Apostolorum, de quo vide n. seq.

[1] Cfr. c. 3. § 64. D. XV; MIGNE. P. L. T. 59. col. 157 sqq.; vide ibid. col. 178. De *Decreto Gelasiano* (cujus ultima (longe major) pars in cit. c. 3. D. XV invenitur quodque libros apocryphos a non apocryphis secernere intendens, ipsum a suspicione indolis apocryphae praeservari non potuit) nondum clausa est disputatio. Vide jam antea notam Correctorum Romanorum ad l. c. Quidam illud, aut saltem partem, quae in cit. c. 3. D. XV allegatur, adscribunt S. Gelasio I (492—496) in Concilio Romano a. 494 aut 496. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. I. p. 317 in hanc sententiam inclinat. Eodem modo ZÖPFFEL-MIRBT in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche*[3] VI p. 475 ipsum Indicem librorum probabilius S. Gelasio adscribendum esse putant. Alii magnam partem tribuunt S. Damaso (366—384) et Concilio Romano sub ipso a. 382 habito et quidem pro Indice librorum magnum influxum attribuunt S. Hieronymo. Ita v. g. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 119. n. 1; Idem. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* III. p. 562 et not. 2; p. 589 et not. 5. et p. 610. not. 4; et revera prima pars hujus decretalis videtur quidem magis convenire tempori S. Damasi; plura autem, quae deinceps indicantur, posteriora sunt tempore S. Damasi, v. g. quae dicuntur de Concil. Ephesino (a. 431) et Chalcedonensi (a. 451) aut de scriptis S. Augustini († 430) et S. Leonis M. († 461) aliorumque. Exinde alii cum * A. THIEL. *De decretali Gelasii papae. . . .* (Braunsbergae 1866) et HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 940 sqq. quinque partes in hoc decreto distinguunt, quarum tres priores attribuunt S. Damaso, duas posteriores autem S. Gelasio, reeditionem vero decreti una cum quibusdam additionibus S. Hormisdae (514—523); inter hasce additiones autem recensent hunc passum, qui de Canonibus Apostolorum agit. Cfr. etiam FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. i. h. l. Tandem HARTMANN GRISAR S. J. *Geschichte Roms und der Päpste im Mittelalter.* I. (Freiburg Br. 1901; altera pars non apparuit) p. 735 n. 478 primam partem quidem attribuit S. Damaso, alteram vero abjudicat S. Gelasio et hanc una cum redactione totius Decreti attribuit auctori incerto primis decenniis Saec. VI; idem in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* VIII (1884) p. 204—205. Cum eo consentit GODAT in *Dict. de Théol. Cath.* in v. *Gélase* I col. 1180. Doctam crisin in textum decreti instituit ERNST VON DOBSCHÜTZ in *Das Decretum Gelasianum* in *Texte u. Unters.* XXXVIII. 4. (Reihe 3. VIII. 4) qui ibid. p. VI et p. 340—352 ejus originem S. Damaso et S. Gelasio prorsus abjudicat et propter unitatem operis plane hoc attribuit labori privato auctoris incerti primis decenniis Saec. VI; quin imo p. 349 coll. c. p. 199, 223—237, 276, et 338, 348 sqq. adducit argumenta, quibus censet, originem Romanam (h. e. in urbe Romae) prorsus esse rejiciendam. Verba: „*Liber Lusanae apocrifus*" (c. 3. § 63. D. XV) aut sec. aliam lectionem: „*Liber Lusa apostoli*" aut „*Jus* (Jussa) *Apostolorum*" cfr. FRIEDBERG. l. c. i. h. l. videntur respicere Constitutiones Apostolorum: ita GRISAR. l. c. nempe *Geschichte Roms . . .* I p. 736.

hodie plane constat apud omnes[1], quamquam multi antiquiores eos antea ut genuinos, aut saltem uti auctoritate legali praeditos habuerunt[2]. Inveniuntur nonnunquam adjecti tamquam caput ultimum (h. e. cap. 47) Libro VIII Constitutionum Apostolicarum et videntur collecti ab eodem auctore ignoto, qui Constitutiones Apostolicas redegit, quique eos ex ipsis Constitutionibus Apostolicis necnon ex Conciliis quatuor priorum saeculorum composuisse videtur; quamobrem haec compilatio ab auctoribus modernis etiam Saec. V. adscribitur[3]. Tamquam libellus distinctus postea hi canones usu adhibiti fuerunt; quin imo Concilium Trullanum (a. 692), quod Constitutiones Apostolicas rejecerat, hos Canones retinuit[4], qua de causa in Ecclesia Orientali auctoritatem legalem consecuti sunt, quam usque hodie apud Graecos schismaticos retinent[5]. In Ecclesia Occidentali vero non omnes hi canones, sed tantum 50 priores a Dionysio Exiguo Saec. VI in linguam Latinam translati et dein suae celebri collectioni (vide infra n. 76.

---

[1] Etenim praeter plures anachronismos (cfr. Can. 36 (38) de synodis Episcoporum bis in anno celebrandis; Can. 68 (69) ubi sermo est de inferioribus clericis, uti lectore et cantore) plures etiam inibi dantur manifesti errores; vide v. g. Can. 65 (66) ubi pro crimine habetur die Dominica vel Sabbato jejunare; Can. 45, 46 (46, 47) et 67 (68) qui haeresin continent aut sapiunt de invalido baptismo aut ordinatione invalida haereticorum; Can. 84 (85) ubi tertius quidam liber Machabaeorum, duae epistolae Clementis et Constitutiones Apostolorum inter libros sacros recensentur et e contra libri Esdrae, Tobiae (Judith ?), Sapientia Salomonis et Apocalypsis S. Joannis ex albo sacrorum librorum expunguntur.

[2] Ita v. g. S. JOANNES DAMASCENUS. *Expositio accurata fidei orthodoxae.* L. IV. c. 17 in fine eos inter S. Scripturae libros recenset; (MIGNE P. G. T. 94. col. 1179—1180); item JUSTINIANUS. Nov. 6 Praef. SCHMALZGRUEBER. *Jus eccl. univ.* I. Dissert. proöem. § 7. n. 257—259 cum pluribus aliis, quos ibid. refert, valorem legalem illis tribuit, etsi eos non sacris libris accenseat.

[3] Ita v. g. FUNK. *Die Apostolischen Konstitutionen.* p. 191; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 83. n. 1, 2; NAU in *Dict. de Théol. Cath.* in v. *Canons des Apôtres* col. 1609—1610; ACHELIS in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 739.

[4] Ibid. Can. 2; cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. XI. col. 939—940. Cfr. etiam c. 4 et 7 D. XVI; Concilium ibid. citatum est etiam Trullanum; Isidorus in Can. 4 est Pseudo-Isidorus, de quo vide infra c 4. art. 1; e contra Isidorus in c. 1 ead. Dist. XVI, ubi auctoritas apostolica hisce canonibus denegatur est S. Isidorus Hispal. († 636). Vide hic BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars I. p. 325—326 et Pars III. p. 407.

[5] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 206; ANDREAS (VON) SCHAGUNA. *Compendium des Kanonischen Rechtes.* (Versio. ALOIS SENTZ. Hermannstadt. 1868.) § 11.

p. 110.) etsi cum quadam dubitatione inserti[1] sat magnam auctoritatem obtinuerunt, primum quidem in Ecclesia Romana et dein post Decretum Gratiani[2] in Ecclesia universali, ita ut deinceps pluries in collectionibus et in documentis ecclesiasticis allegarentur[3]. Postea etiam textus omnium canonum Apostolorum secundum versionem factam a Gregorio Haloandro (Hofmann), Jurisconsulto Germano († 1531), communiter in editionibus Corporis Juris Canonici post Decretum Gratiani apponebatur[4]. Sunt 84, quia duo scil. Can. 3 et 4 ibid. in unum conjuncti fuerunt[5].

[1] Ait enim. ibid. DIONYSIUS in sua praefatione: „Canones, *qui dicuntur apostolorum*, de Graeco transtulimus: quibus quia plurimi consensum non praebuere facilem, hoc ipsum vestram noluimus ignorare sanctitatem, quamvis postea quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur". Cfr. MIGNE. P. L. T. 67. col. 141—142. Postea in alia collectione, quam idem DIONYSIUS confecit, cujus tamen praefatio tantum nobis conservata est, canones Apostolorum expunxit propter additionem Hormisdae in decreto Gelasiano (?) (vide supra p. 98 not. 1.) qua hi canones inter apocryphos enumerabantur. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 2. p. 1204—1206. At prior collectio praevaluit.

[2] Cfr. c. 3. D. XVI, qui Canon secundum BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II Tom. II. p. 309—310 falso S. Leoni IX (1048—1054) attribuitur, sed potius est ejus legati Humberti, Archiepiscopi Sylvae Candidae; vide etiam not. Correctorum Romanorum i. h. 1; c. 2 ead. D. est Pseudo-Isidori; cfr. adhuc c. 1. D. XX, ubi S. Leo IV (847—855) refert canones, qui in foro ecclesiastico adhibentur, inter quos etiam memorantur canones Apostolorum. Cfr. BERARDI. 1. c. Pars I. Tom. I. p. 83; Pars II. Tom. II. p. 219—221; vide supra n. 51.

[3] Cfr. c. 14. D. XXVIII (i. e. c. 6 Apostolorum in versione Dionysii, alibi c. 5) de cujus canonis textu et sensu, qui forte benignius explicari potest, disputant doctores. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars I. p. 12; c. 1 D. XXXV (scil. c. 42, 43 Apost.); c. 3. D. LXXXVIII (i. e. c. 7 Apost.); c. 4 et 8. D. LV (scil. c. 21, 22, 23 Apost.); c. 3. X. *de corpore vitiatis ordinandis vel non.* I. 20; (sunt iidem canones 21—23 Apost.); c. 1. X. *de fidejussoribus.* III. 22 (i. e. c. 20 Apost.); c. 1. X. *de clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.* V. 27 (est c. 29 Apost.). Quin etiam Conc. Trid. ad Canones Apostolorum remittit in Sess. XXV. *de ref.* c. 1., ubi dicit: „cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent." (est c. 39 (37) Apost.).

[4] Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 70 not. 2. et p. 228 in fine; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 273. not. 30.

[5] Textus canonum Apostolorum etiam invenitur in collectionibus receptis conciliorum et quidem ibid. initio; v. g. MANSI. *Conc. Coll.* T. I. col. 29—48, una cum versione Latina GENTIANI HERVETI ex ejus editione Parisiensi a. 1561; ibid. etiam col. 49—57 referuntur 50 canones priores secundum versionem Dionysii Exigui; sequuntur dein notae SEVERINII BINII (editoris Conciliorum; cfr. infra Period. III. c. 2 not. 1) in universos canones Apostolorum. Cfr. etiam textum cum commentariis THEODORI BALSAMONIS (de quo in cap. seq.) apud MIGNE. P. G. T. 137. col. 35—218; tandem 50 canones priores secundum versionem Dionysii etiam referuntur apud MIGNE. P. L. T. 67. col. 141—148.

Caput II

De Collectionibus Ecclesiae Orientalis[1]

71. Collectiones chronologicae. Post primum Concilium Hierosolymis celebratum, cujus acta in ipsa S. Scriptura consignata sunt (cfr. Act. Ap. XV. 1—29), plura jam tribus primis saeculis in Oriente habita sunt Concilia particularia, quorum acta et decreta vero ut plurimum perierunt aut nonnisi corrupte ad nos pervenerunt[2].

Pace Ecclesiae restituta, plura deinceps in Ecclesia Orientali celebrata sunt Concilia, tam oecumenica quam particularia, quorum canones saepius ita colligebantur, ut posteriora concilia prioribus connecterentur et vulgo quidem continuis numeris[3].

---

[1] Quoad hasce collectiones non tantum Ecclesiae Orientalis, sed etiam Ecclesiae Occidentalis cfr. praecipue Disquisitiones, quas exararunt PETRUS et HIERONYMUS, fratres BALLERINI, presbyteri Veronenses in appendice ad editionem, quam pararunt Operum S. Leonis M. (Venetiis. 1753—57) ibid. Vol. III, sub titulo: *De antiquis collectionibus et collectoribus canonum.* Cfr. MIGNE. P. L. T. 56. Est opus classicum primarium, uti testantur i. a. SCHULTE. *Gesch. d. Quell. u. Lit. d. Can. R.* III. (B) p. 330; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 268 et etiam HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* I. p. IX, qui tamen existimat, Ballerinios Codicibus a se examinatis generatim nimis remotam tribuisse aetatem. Vide dein FRIEDRICH MAASSEN. *Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts im Abendlande bis zum Ausgang des Mittelalters.* (Gratz. 1870). Tomus I (etiam unicus, pertingens usque ad Pseudo-Isidorum); BERARDI. *Gratiani Canones*[2]. Pars I. Praefatio et Observationes praeviae. Ulteriorem literaturam vide apud PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 1, 2; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 35; WALTER GERLACH in *Lehrb. d. Kirchr.*[14] p. 161 not. 1*.

[2] HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 125 sqq.; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 5, 6.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collectionibus.* P. I. c. 2. n. 1. sqq.; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 770. Ita etiam in Conc. Chalcedon. (451) in Sessionibus IV. et XI. varii canones priorum Conciliorum ex aliqua collectione nobis non transmissa recitabantur. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 711 et 757; MANSI. *Conc. Coll.* T. VII. col. 81-82 in fine -84 et col. 281 in fine -284. Item in Sessione XVI ibid. quidam canones Conc. Constant. I (381) recitabantur ex quodam codice qui συνοδικὸν vocabatur. Cfr. MANSI. l. c. col. 445; HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 770. not. 1. et p. 831. Immerito Calvinista *Christophorus Justellus* (Christophe Justel), secretarius regius, collectionem, quam a. 1610 Parisiis edidit sub titulo: *Codex Canonum Ecclesiae universae a Concilio Chalcedonensi et Justiniano imp. confirmatus* eundem veterem codicem esse dicit qui in Concilio Chalcedonensi lectus fuit, dum revera, uti probant BALLERINI l. c. c. 1. n. 7 sqq. et affirmant WASSERSCHLEBEN et v. SCHULTE in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. X. p. 2 ipse eum proprio marte ex collectionibus posterioribus composuit. Vide etiam PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 20, 21; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 15. I. Formula

Quamobrem hae collectiones, privato labore tantum compositae[1], secundum ordinem chronologicum, quo ut plurimum confectae sunt, vocatae sunt *collectiones chronologicae*, etsi deinceps propter majorem auctoritatem Concilii Nicaeni I hujus concilii canones aliis vulgo praeponebantur[2]. Ita v. g. in collectione, quae tempore Joannis Scholastici, patriarchae Constantinopolitani († 578), communiter in Oriente recepta erat, haec series canonum servabatur: Primo loco positi erant canones Apostolorum (cfr. supra n. 70), dein Nicaeni I (325), cui nonnunquam canones Concilii Sardicensis (343) adjiciebantur (cfr. supra n. 35); 3. Ancyrani (314); 4. Neocaesariensis (inter 314—325); 5. Sardicensis (343), nisi jam post Nicaenum I inserti erant; 6. Gangrensis (circa 340 aut 370?); 7. Antiocheni (341); 8. Laodicensis (inter 343—381); 9. Constantinopolitani I (381); 10. Ephesini (431); 11. Chalcedonensis (451)[3]. Quocirca est notandum etiam canones conciliorum particularium antiquorum magnam auctoritatem semper obtinuisse in Ecclesia universa et eo quidem majorem, quo magis ad prima saecula accedebant[4]. Quin imo partim consuetudine, partim expressa approbatione R. R. Pontificum non pauci ex istis ut

---

ἀκολουθία τῶν κανόνων (parum recte in contextu in quo hic occurrit Latine reddita verbo: *consequentia canonum*, v. g. apud LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 28), quae formula in Concilio Ephesino (431) saepius occurrit (cfr. v. g. MANSI. l. c. T. 4. col. 1237-38; 1327-28), non significat, uti bene observant BALLERINI. l. c. c. 1. n. 6; c. 6. n. 3 collectionem quandam, (uti falso censent VERING. l. c. et PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] Q 37), sed ordinem et methodum canonicam. Vide contextum apud MANSI. l. c.; item PHILLIPS. l. c. p. 19.

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht* IV. p. 20; CARD. GASPARRI. in *Praef.* Codicis alin. 2.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collectionibus.* P. I. c. 2. n. 1. et n. 5, 6; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46 II; CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis alin. 2.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collectionibus.* P. I. c. 2. n. 1. sqq.; n. 8; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 770 c. not. 1.—p. 772; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46 not. 12; HERGENRÖTHER in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 199 sqq.

[4] Cfr. c. 14. C. XXV. q. 1: „A sanctis Patribus in unaquaque synodo usque nunc prolatas regulas tenere statuimus." Ita in c. 1. Conc. Chalcedon. (451). Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. VI. col. 1225 et praecipue T. VII. col. 358 sqq.; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 770 et p. 839 sqq. de responso R. Pontificis, quoad acta hujus Concilii. Nimis critice, ut videtur, BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars. I. p. 240 coll. c. p. 228—230 auctoritatem hujus canonis inde in dubium vocat quod fuerit ob initio forte editus ab Anatolio, Episc. Constantinop. Vide hic HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 767 sqq.; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 681 et not. 5; WERNZ. *Jus Decr.*[2]. I. n. 179. IV c. not. 7 et 8; n. 203 versus finem et n. 204 c. not. 71 et 72.

leges universales fuerant assumpti[1]. Vetus autem collectio canonum ab Orientalibus Conciliis, praesertim Nicaeno, editorum, de qua hic locuti sumus „antiquarum collectionum fere omnium quasi principium et fons habenda est“[2].

72. Collectiones systematicae. Saec. VI in Ecclesia Orientali quaedam adornatae sunt *collectiones systematicae*, quae canones exhibebant sub variis titulis secundum eorum materiam distinctos[3]. Notissima fuit collectio systematica, quam JOANNES SCHOLASTICUS, advocatus Antiochenus et postea favore Imperatoris Justiniani patriarcha Constantinopolitanus circa a. 550 composuit, in 50 Titulos ad imitationem 50 Librorum Pandectarum (cfr. supra n. 56. II) divisam[4]. Canones hujus collectionis desumpti erant ex collectione chronologica tunc temporis existente, quibus ipse insuper adjecit 68 canones ex epistolis (IIa et IIIa) quae dicuntur canonicae S. Basilii ad Amphilochium[5]. Postea compendium quoddam ex Novellis Imperatoris Justiniani suae canonum collectioni adjecit, quod inscribitur: *Collectio 87 capitulorum*[6].

73. Nomocanones (a *νόμος*: lex et *κανὼν*: statutum ecclesiasticum). Hoc nomine veniunt collectiones, in quibus una cum canonibus ecclesiasticis apponebantur leges civiles ab Imperatoribus circa causas ecclesiasticas latae, quas Orientales nimis facile in foro etiam ecclesiastico adhibebant[7]. Prima vestigia talis collectionis jam reperiuntur tempore Joannis Scholastici, sed primus *nomocanon* proprie dictus exaratus fuit ab auctore ignoto sub Imperatore Mauritio (582—602) et falso Joanni Scholastico adscribebatur. Divisus est in 50 titulos ex collectione Joannis Scho-

---

[1] Cfr. c. 1. D. XX; vide supra n. 51; WERNZ. *Jus Decr.*[2]. I. n. 179. IV. not. 8 et n. 203.

[2] Ita *Card. Gasparri.* in *Praef.* Codicis, alin 2.

[3] Cfr. VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 15. II; HERGENRÖTHER in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 208 sqq.

[4] Inscribebatur: „Συναγωγὴ κανόνων εἰς ἑ τίτλους διηρημένη“. Textum vide apud: G. VOELLUS et H. JUSTELLUS. *Bibliotheca juris canonici veteris . . .* (Lut. Paris. 1661) II. p. 499—602. Vide etiam HERGENRÖTHER. in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 208; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 22; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46. IV; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 15. III; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 111. n. 2.

[5] Cfr. MIGNE. P. G. T. 32. col. 715 sqq. et col. 793 sqq. De hisce epistolis earumque authentia vide infra p. 120 et not. 3 ibid.

[6] Cfr. VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 15. III; HERGENRÖTHER in *Archiv f. kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 209.

[7] Cfr. VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 15. V. sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46. V; WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 207; HERGENRÖTHER in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 210 in fine sqq.

lastici desumptos et sub singulis titulis post canones ecclesiasticos subjunguntur leges civiles correspondentes[1]. Ex posterioribus nomocanonibus praecipue commemorandus est ille, quem PHOTIUS, indignus Patriarcha Constantinopolitanus († 891), non quidem ipse primus composuit, sed auxit et expolivit. Dividitur in duas partes, quarum prior *Syntagma canonum* vocata, proprie est collectio systematica praecedentium canonum, inter quos etiam veniunt 102 canones Concilii Trullani (cfr. supra n. 35), quae collectio usque hodie quasi Codicem Juris Ecclesiae Orientalis constituit[2]. Hisce canonibus insuper adjecti sunt canones duorum conciliabulorum, quae ipse Photius ann. 861 et 879 Constantinopoli celebraverat. Altera pars proprie constituit *Nomocanonem* in 14 Titulos divisum, a Photio novis citationibus canonum et legibus civilibus posterioribus auctum atque perfectum[3].

74. Nota. Post Photium — ut Jus Orientale post schisma Photianum paulo compleamus — JOANNES ZONARAS, monachus (circa 1120) jura Graecorum novo ordine digessit et suis commentariis ditavit[4]. Pariter commemorandus est ALEXIUS

---

[1] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 46. V; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 23; VERING. *Lehrb. d.... Kirchr.*[3] § 15. V; HERGENRÖTHER in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 211. Textum vide apud: G. VOELLUS et H. JUSTELLUS *Biblioth. jur. can. vet.* II. p. 603—660.

[2] Cfr. WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 206; CHELODI. *Jus de Personis.* n. 42 in fine; JOS. PAPP-SZILAGYI. *Enchiridion Juris Ecclesiae Orientalis catholicae.* (M.Varadini.1862) § 51, ubi adhuc animadvertit collectiones recensitas in Can. 2 Conc. Trullani (citato etiam, at minus accurate, in c. 7. D.XVI; vide BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars I. p. 326—27) necnon eas recensitas in can. 1. Conc. Nic. II (787) (vide HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 2. p. 776; MANSI. *Conc. Coll.* T. 13. col. 747—48) nunquam approbationem papalem retulisse. De Conc. Trullano vide supra n. 35; quoad Conc. Nic. II. vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 43. II. n. 7 et not. 13, et epist. Hadriani I. a. 794 ad Carolum, regem Francorum, ubi hoc Concilium defendit quidem sed dicit, se nondum pro eo Imperatori respondisse. Vide JAFFÉ *Regesta*[2]. n. 2483 (Ed. 1. n. 1902).

[3] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* § 46. V. n. 2; VERING. *Lehrb. d.... Kirchr.*[3] § 17. II; HERGENRÖTHER in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 23 (1870) p. 211 sqq. Textum vide apud: G. VOELLUS et H. JUSTELLUS. *Biblioth. jur. can. vet.* II. p. 813—1140, pariter apud MIGNE. P. G. T. 104. ubi col. 441 sqq. invenitur Pars I. (*Syntagma canonum*) et col. 975 sqq. ipse *Nomocanon*, ubi tamen sec. HERGENRÖTHER l. c. p. 212 textus nonnisi imperfecte exhibetur. Textum emendatiorem refert PITRA. *Juris eccl. Graec. Hist. et Monum.* II. p. 433 sqq. Cfr. etiam opus praeclarum CARD. HERGENRÖTHER. *Photius.* (Regensburg. 1867—1869), praecipue Tom. III. p. 92 sqq.

[4] Cfr. VERING. *Lehrb. d.... Kirchr.*[3]. § 17. IV; BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars III. c. 3. I.

ARISTENUS (circa 1160), oeconomus Constantinopolitanus, cui synopsis quaedam canonum adscribitur, etsi proprie, ut videtur, commentarios tantum in eam scripsit[1]. Omnes vero superat THEODORUS BALSAMON, Patriarcha Antiochenus (circa 1170), cujus commentarii in canones conciliorum et Patrum et praecipue in Nomocanonem Photianum maximam auctoritatem usque hodie apud Graecos schismaticos obtinent[2]. Tandem MATTHAEUS BLASTARES, monachus, (circa 1335) compendium quoddam confecit juris Graecorum, quod *Syntagma alphabeticum* vocatur[3]. Omnes hi scriptores animo infenso erant in Ecclesiam Latinam[4].

Caput III

De Collectionibus antiquioribus Ecclesiae Occidentalis

Articulus I

De Collectionibus Juris Generalis

75. Collectiones Occidentales in genere. Jam primis Ecclesiae temporibus epistolae R. R. Pontificum conservatae et collectae

---

[1] Vide Praefationem GUILIELMI BEVEREGII in *Pandectis canonum* ante THEODORI BALSAMONIS, ZONARAE et ARISTENI . . . *Commentaria* apud MIGNE P. G. T. 137. col. 29—30; quare corrigas aut recte intelligas quae refert BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars III. c. 3. III; melius VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 17. VII. De opere ipsius BEVEREGII vide VERING. l. c. § 18. n. 9.

[2] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ. Pars* III. c. 3. I et praecipue VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 17. V, qui ibid. notat, Theodorum, etsi fuerit Patriarcha Antiochenus, tamen Antiochiae residentiam non tenuisse eo, quod milites crucigeri Patriarcham Latinum ibid. instituerant. Secutus est Theodorus notas Zonarae, qui pariter usque hodie magna auctoritate apud Orientales gaudet. Vide VERING l. c. Textum sub Titulo: THEODORI BALSAMONIS, ZONARAE, ARISTENI . . . *Commentaria* vide apud MIGNE. P. G. T. 137 et T. 138.

[3] Cfr. BOUIX. *Tr. de Princ.* Pars III. c. 3. VII; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 17 V.

[4] Vide adhuc VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 18, ubi varias editiones collectionum Orientalium assignat, inter quas notanda venit collectio, quae a. 1800 auctoritate Patriarchae Constantinopolitani et cura quorundam monachorum ex monte Athos edita est sub Titulo:* „Πηδάλιον . . .“ (Leipzig. 1800; Ed. 2. Athen. 1841; Ed. 3. Zante. 1864). In editione prima Theodoretus monachus plura convicia in Ecclesiam Latinam inseruit, quae postea auctoritate Patriarchae Constantinopolitani deleta sunt. Cfr. VERING. l. c. n. 13. Ibid. etiam n. 14 indicatur recentior editio juris Graecorum, quam jussu gubernii regii procurarunt GEORGIUS RHALLIS et MICHAEL POTLIS, quaeque ita inscribitur:* Ῥαλλη καὶ Ποτλη . . Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων . . . . (Ἀθήνησιν 1852—59). In hac collectione, quae 6 voluminibus in 8° constat, quatuor priora continent scripta

erant[1], inter quas praecipue commemorandae veniunt Epist. S. Clementis I ad Corinthios (circa a. 96; cfr. supra p. 50 not. 3), decisio S. Victoris I in controversia de Paschate (a. 196)[2], responsio S. Stephani I de baptismo haereticorum (a. 255)[3], aliaeque, quas supra n. 39 in notis retulimus. Dolendum tamen, quod, licet jam prioribus saeculis apud Sedem Apostolicam probabiliter exstiterint libri regestorum[4] et saltem jam tempore S. Hieronymi mentio

---

Photii, Zonarae, Aristeni et Balsamonis supramemorata, quintum refert varia decreta Patriarcharum, synodorum et imperatorum; ultimum dein exhibet compendium Matthaei Blastaris, quod supra indicavimus. De collectionibus slavicis vide VERING. l. c. § 19. Pro jure Ecclesiae Orientalis unitae praeter fontes antiquiores supra n. 71—73 memoratos adhuc consuli possunt concilia Orientalia recentiora in Collectione, quae dicitur *Lacensis* (Patrum S. J. e domo Maria Laach) (Friburgi. 1870—1890) Tomo II collecta; item MANSI. *Conc. Coll.* inde a T. 37 et sqq. Vide insuper opus supra jam p. 104 not. 2. cit: PAPP-SZILAGYI. *Enchiridion Jur. Eccl. Orient. cath.*

[1] Cfr. PETR. COUSTANT. O. S. B. e. Congr. S. Mauri. *Epistolae Romanorum Pontificum et quae ad eos scriptae sunt, a. S. Clemente usque ad Innocentium III quotquot reperiri potuerunt...* Tom. I. (et unicus) ab anno Chr. 67 ad ann. 440 (Paris. 1721) fol; ANDR. THIEL. (postea Episcopus Varmiensis h. e. Ermeland) *Epistolae Romanorum Pontificum genuinae et quae ad eos scriptae sunt a S. Hilaro usque ad Pelagium II.* Tom. I. (et unicus) ab ann. 461—523 usque ad S. Hormisdam (Brunsbergae. 1868) in 8. De *Bullariis* vide infra Period III cap. 3 et ORTOLAN in *Dict. de Théol. Cath.* II. in v: *Bullaire.* Cfr. etiam idem THIEL in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 13 (1865) p. 1. sqq.; item GRISAR in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* Bd. 12 (1888) p. 487 sqq., ubi de collectionibus epistolarum R. R. Pontificum sapienter disserit.

[2] Cfr. EUSEBIUS. *Hist. eccl.* L. V. c. 23 et 24. (MIGNE. P. G. T. 20. col. 489 sqq. praecipue 491—92 et 497—98); HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 140 sqq.; BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* I p. 531 et 579; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5]. I. p. 250—251; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* I. p. 265—67. Textus ipse nobis non est conservatus; litterae, quas refert MIGNE. P. G. T. 5. col. 1483—90, post MANSI *Conc. Coll.* T. 1. col. 700—706, partim post PSEUDO-ISIDORUM (MIGNE. P. L. T. 130. col. 121 sqq.), spuriae sunt. Vide BARDENHEWER. 1. c. p. 531.

[3] Etsi epistola ipsa S. Stephani huc pertinens deperdita est, quaedam tamen ejus verba inter theologos notissima — „Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam..." — nobis conservata sunt in Epist. S. CYPRIANI ad Pompejum. c. 1; MIGNE. P. L. T. 3. col. 1128—29; vide notam Baluzii ibid. col. 1012. Cfr. BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* II. p. 579; Idem *Patrologie.*[3]. § 56. n. 6; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 316. not. 1; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* I. p. 359—60.

[4] Ita JAFFÉ. *Regesta*[2]. I. Praefatio. p. V; „sed — ita pergit — confici quando coeperint incompertum habetur." — Nomine autem *Regestorum* secundum JAFFÉ l. c. veniunt „ii libri, in quos ecclesiae Romanae notarii epistolarum pontificiarum exempla regerebant." Vocantur etiam *registra* a voce Italica *registro.* Vi vocis etiam significant excerpta ordine chronologico

fiat de quodam archivo[1], tam multa documenta R. R. Pontificum deperdita fuerint[2] et ea quidem priorum saeculorum fere omnia perierint[3].

Quae autem collectae et conservatae erant epistolae R. R. Pontificum, non tantum eae erant, quae a Rom. Pontifice in synodis, convocatis presbyteris Ecclesiae i. e. dioecesis Romanae[4] aut in conciliis provincialibus coadunatis Episcopis vicinioribus[5]

disposita cum appositis indicationibus loci, ubi ipsum documentum inveniri potest. Usum Regestorum Curia papalis desumpsit a Cancellaria Romani Imperii. Cfr. KNÖPFLER in *Kirchenlexikon*[2] in v. *Regesten.*

[1] Cfr. S. HIERONYMUS. *Apologia adversus libros Rufini.* L. III. c. 20 (MIGNE. P. L. T. 23. col. 471): „Si a me fictam epistolam suspicaris, cur eam in Romanae Ecclesiae chartario non requiris". Vide KNÖPFLER in *Kirchenlexikon*[2] in v. *Regesten.* col. 935; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* III. p. 639. not. 4.

[2] Ab Innocentio III (1198) usque ad Sixtum V († 1590) omnia regesta fere completa adsunt in Archivo Vaticano in voluminibus 2016 in fol. A Sixto V singulae Congregationes ab ipso erectae (vide supra p. 61 not. 3.) sua propria tabularia habent. Ex Regestis ante Innoc. III pauca tantum supersunt ante aetatem Gregorii M. (590—604); neque probari potest, antecessores S. Gregorii omnium suarum epistolarum exempla colligenda curasse. Primus S. Gregorius M. Regesta proprie dicta adornasse videtur, cujus excerpta saltem perplura nobis conservata sunt. Usus Regestorum ab ejus successoribus sine dubio retentus fuit, et maxime quidem a S. Gregorio VII (1073—1085) at, sive ob perturbationes politicas sive ob debilitatem papyri usque in initio Saec. XI in Cancellaria papali usitati, pauca tantum usque ad tempora Innocentii III ad nos pervenerunt. Vide KNÖPFLER in *Kirchenlexikon*[2] in v. *Regesten*; item JAFFÉ. *Regesta*[2] Praef. p. V, VI. Hic auctor acta papalia ante Innoc. III edita quotquot reperire potuit sive in manuscriptis sive in operibus typis impressis (uti sunt Corpus Juris, Collectiones Conciliorum, Editiones S. S. Patrum, Epistolarum R. R. Pont. etc.) undique indagavit et in sua Regesta assumpsit. (Ed. 1. Berolini. 1851) in 4; Ed. 2. procurata est sub auspiciis GULIELM. WATTENBACH, ab S. LOEWENFELD, F. KALTENBRUNNER et P. EWALD. (Lipsiae 1885—88) 2 Vol. in 4. Opus Jaffei continuavit AUGUST. POTHAST ab a. 1198 ad 1304. (Berolini. 1873—75) 2 Vol. in 4. Novam edition. actorum papalium ante Innoc. III editorum, procuravit PAULUS FRIDOLINUS KEHR. sub eod. titulo: *Regesta Pontificum Romanorum* (Berolini 1906 sqq.) A. 1880 Leo XIII Archivum Vaticanum studiis peritorum exposuit. Cfr. GRISAR in *Zeitschr. f. kath. Theol.* Bd. 8 (1884) p. 223. sqq.

[3] Sub persecutione Diocletiani (284—305) ejusque regni sociorum inde ab a. 303, quae persecutio fuit omnium maxima et crudelissima, libri sacri et documenta papalia destructa erant. Cfr. PAUL ALLARD. *Histoire des Persécutions.* (Paris 1885 sqq.) T. IV. La Persécution de Dioclétien . . . T. I. p. 185; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* I. p. 210 et 407.

[4] Cfr. v. g. Epist. 7 S. Siricii (circa a. 390), qua „facto presbyterio" damnat haeresin Joviniani sociorumque; MIGNE. P. L. T. 13. col. 1168; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 260 (Ed. 1. n. 70); Epist. 15 S. Bonifacii I (a. 422) „quae presbyterio universo complacuit" de causa Perigenis, Episcopi a Sede Apostolica constituti „de cujus judicio — ita ait — non licet retractari"; MIGNE. P. L. T. 20. col. 779—782; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 365 (Ed. 1. n. 148).

[5] Cfr. Epist. S. Liberii ad Constantium Imperatorem (a. 354) de

editae fuerant, sed etiam, quae datae fuerant motu proprio et „nulla existente synodo" (cfr. supra p. 51 et not. 6). Potissimum autem hae epistolae divulgabantur, cum saltem jam a Saec. V. in collectiones canonum Conciliorum receptae fuerunt[1]. Etenim una cum actis R. R. Pontificum et jam antequam haec colligebantur, in Ecclesia Occidentali etiam colligi coeperunt canones conciliorum et maxime quidem Orientalium (de quibus vide supra n. 71), sed etiam Occidentalium[2]; cui labori pro canonibus conciliorum Orientalium accessit necessitas vertendi eos in linguam Latinam, ita ut primae collectiones conciliorum in Occidente compositae simul essent versiones collectionum Orientalium[3]. Nulla tamen ex hisce collectionibus aut versionibus videtur obtinuisse auctoritatem publicam, nisi forte unam excipias collectionem antiquam canonum Nicaenorum, quibus canones Concilii Sardicensis continuis numeris apponebantur (cfr. supra p. 48 a)[4].

---

convocando concilio, ubi dicit se litteras Orientalium episcoporum „legisse ecclesiae, legisse concilio" et loquitur de sententia Athanasii „quam — ait — recitavimus ... episcopis Italis"; MIGNE. P. L. T. 8. col. 1351; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 212 (Ed. 1. n. 43); BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* III. p. 585. Huc etiam pertinet celebris Epist. S. Siricii ad Himerium Archiep. Tarraconensem (a. 385) de variis doctrinae capitibus, in qua dicit se relationem Himerii legisse „in conventu fratrum" et inter alia haec dicit, nuper memorata in Allocutione BENED. XV. in Consistorio d. 16 Dec. 1920: „ut a die ordinationis nostrae sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora" (*Acta Ap. Sedis XII* (1920) p. 587); MIGNE. P. L. T. 13. col. 1131, 1139; JAFFÉ. *Regesta*[2], n. 255 (Ed. 1. n. 65). Ajunt hanc epistolam inter Decretales in collectionibus antiquioribus assumptas esse antiquissimam. Vide BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 95. n. 11, sed cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 44. II. et infra n. 78 collectio Hispana, et n. 79 collectio Quesnelliana, quae referunt decretales Siricio antiquiores.

[1] Cfr. MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 226, 231 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 44. II. cum not. 4 et IV. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 27—29.

[2] Inter Concilia Occidentalia istius temporis, quae tantum particularia fuerunt, praecipue notatu digna sunt Concilia *Romana*, *Africana*, praesertim Carthagine celebrata, *Hispanica*, uti Conc. Illiberitanum (Elvira. circa a. 300; cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 212) et plura Toletana, item *Gallicana*, uti Conc. Arelatense I (314) (cfr. HEFELE-LECLERCQ. 1. c. p. 275) aliaque. Vide passim infra in hoc eodem art. dein SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 43 IV; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 13—16; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 203 in fine.

[3] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 47. I; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 24 sqq.

[4] Pro exceptione stant BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 1. n. 1. sqq.; eis assentiunt PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 24—25 et BOUIX. *Tr. de Princ.* P. III. c. 4. § 1. Aliter tamen SCHERER. *Hdb. d.*

Canones autem Sardicenses jam in ipso textu originali et lingua graeca et latina fuerant conscripti[1].

76. Collectiones Italiae. Saec. V. in Italia ortae sunt duae versiones et collectiones canonum, quae vulgo dicuntur collectio *Isidoriana* vel *Hispanica* et *Itala* sive *prisca*. Prior ita vocatur, quia falso putabatur in Hispania facta esse et postea recepta fuit in collectionem Hispanicam, quae perperam S. Isidoro Hispalensi († 636) adscripta fuit[2]. Altera vocatur *Itala*, quia praecipue in Italia in usu fuit, *prisca*, quia secundum nonnullos hoc nomine videtur eam nominare aut ad eam alludere DIONYSIUS EXIGUUS in praefatione primae suae collectionis, de qua statim[3].

Hic DIONYSIUS († circa 536?), natione Scytha, professione monachus, modestiae causa a seipso „*Exiguus*" vocatus[4], sed

---

Kirchr. I. § 47 I. cum not. 2.; CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin 2. et MAASSEN. *Gesch. d. Qnell. u. Lit. d. can. R.* p. 65 sqq., qui bene hic refutat argumentationem Balleriniorum, quasi ex quibusdam textibus S. Innocentii I ab ipsis allegatis sequeretur ante Saec. VI nullos canones graecos in Occidente fuisse receptos nisi solos Nicaenos una cum Sardicensibus. De conjunctione et identificatione canonum Sardicensium cum canonibus Nicaenis vide adhuc BALLERINI. l. c. n. 11.

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. I. c. 5. n. 1. sqq.; VERING. *Lehrb. d. ... Kirchr.*[3] § 13. III; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 2. p. 759 sqq.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collectionibus.* P. II. c. 2. n. 11; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 47. II.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collectionibus.* P. II. c. 2. n. 20; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 47. II. et not. 9; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 28 et 35, 36; sed vide e contra MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 103. En verba Dionysii in praefatione laudata: „Quamquam carissimus frater noster Laurentius assidua et familiari cohortatione parvitatem nostram regulas ecclesiasticas de Graeco transferre pepulerit, confusione (al. imperitia) credo *priscae* translationis offensus, nihilominus tamen ingestum laborem tuae beatitudinis (sc. Stephani, episcopi) considerationе suscepi ..." Cfr. MIGNE. P. L. T. 67. col. 140—41. Ipsam collectionem priscam vide apud MIGNE. P. L. T. 56 col.. 747—48 sqq. Calvinista CHISTOPHORUS JUSTELLUS et post ejus mortem ejus filius HENRICUS, auxiliante VOELLO, doctore Parisiensi, in editione quam pararunt priscae collectionis, canones Sardicenses, potestatem R. Pontificis diserte asserentes (cfr. supra p. 48 not. 1) falso expungere voluerunt et ad calcem adjicere, ac si essent additamenta temporis recentioris; ast, fraude detecta, regia potestate coacti fuerunt dictos canones suis propriis locis edere in collectione citata, non tamen sine fraudulenta praefatiuncula. Cfr. BALLERINI. l. c. n. 15 sqq.; BOUIX. *Tr. de Princ.* P. III. c. 4. § 4; MAASSEN. l. c. p. 87 sqq.

[4] *Exiguus* dictus non quod corpore pusillus erat, sed modestiae causa, quo nomine alii etiam atque imprimis monachi uti solebant. Cfr. DEVOTI *Instit. canon.* Proleg. § 59; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 34 et not. 3.

scientia pariter ac virtute conspicuus, aerae vulgaris christianae institutor[1], post mortem S. Gelasii Papae I († 496) Romam venit[2], ibique sub S. Anastasio II (496—498) precibus cujusdam Laurentii et praesertim Stephani, Episcopi Salonitani (Salonae in Dalmatia) Graecarum synodorum canones accuratiori et nitidiori forma Latine interpretatus est[3]. Dein ineunte saec. VI sub S. Symmacho (498—514) rogante Juliano, presbytero titulo S. Anastasiae[4], alteram composuit collectionem et quidem Decretalium R. R. Pontificum a S. Siricio (384—398) usque ad S. Anastasium II (496—498). Post haec mandato S. Hormisdae Papae (514—523) tertiam adornavit collectionem, quae canones graecos una cum eorum versione latina exhibebat; attamen hujus collectionis praefatio tantummodo est conservata[5]. Tandem idem Dionysius ex prima et secunda sua collectione novam adornavit, quae, licet authentica non esset, tamen maximam celebritatem consecuta est et exinde *collectio Dionysiana* vocata est[6]. Constat duplici parte; prior continet 50 priores canones Apostolorum (cfr. supra n. 70), 165 canones septem Conciliorum Orientalium sub una continuata serie recensitos et 27 canones Concilii Chalcedonensis; hi omnes a Dionysio ex graeco fuerunt translati. Post haec sequuntur canones latini, nempe 20 (21) canones Sardicenses in textu originali latino et acta Concilii Carthaginensis XVII (a. 419),

---

[1] Plura ad ejus personam spectantia afferunt PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 33 sqq.; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 422. Vide etiam testimonium laudativum CASSIODORI de eo: *De Institutione divinarum litterarum.* c. 23; MIGNE. P. L. T. 70. col. 1137—38; T. 67. col. 139; item apud BALLERINI. *De antiquis ... collectionibus.* P. III. c. 1; BERARDI. *Gratiani canones*[2]. P. I. p. XXII; BOUIX. *Tr. de Princ.* P. III. c. 5. § 1. De Dionysio Exiguo vide adhuc BARDENHEWER, *Patrologia*[3]. § 119. n. 3.

[2] Dicit enim in Praefatione suae collectionis Decretalium, loquens de S. Gelasio I: „nos, qui eum praesentia corporali non vidimus". Cfr. MIGNE. P. L. T. 67. col. 231.

[3] Vide not. 3 pag. praec.; MIGNE. P. L. T. 67. col. 139—42.

[4] Vide ejus Praefationem apud MIGNE. P. L. T. 67. col. 231.

[5] Cfr. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 119. n. 3; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 47 IV. not. 16; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 39, ubi in not. 17 hanc praefationem refert; item MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 964.

[6] Cfr. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 119. n. 3; CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 2. Inde CASSIODORUS l. c. hac. pag. not. 1. ait: „quos (canones) hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur". Vide BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 1. n. 6—8, ubi in n. 6. de hac collectione dicit: „quae nihil apocryphum recepit, exceptis canonibus apostolicis, quos tamen Dionysius non sine peculiari admonitione a ceteris

quod vulgo Carthagin. XVI vocatur[1], in 138 numeros distincta. Altera pars continet 38 epistolas decretales octo R. R. Pontificum a S. Siricio (384—398) ad S. Anastasium II (496—498)[2]. Haec collectio postea aucta et aliquatenus immutata ab Hadriano I a. 774 dono data fuit Carolo Magno tunc Romae degenti[3], qui ipse dein auctor fuit ut in Synodo Aquisgranensi a. 802 ab Episcopis sui Imperii reciperetur; coepit dein apud Francos proprio nomine appellari *Codex* seu *Liber canonum*[4]. Vocata etiam fuit collectio *Dionysio-Hadriana*[5] et ex ea compendium quoddam con-

genuinis canonibus distinguendos putavit." Cfr. supra p. 100 not. 1; MIGNE. P. L. T. 67. col. 141—142.

[1] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 1. p. 198 sqq. Magni momenti fuit hoc Concilium, cum ob quaestionem ibi tractatam de appellationibus ad Romanum Pontificem contra sententias episcoporum a sacerdotibus interpositis, tum ob longam seriem canonum ibi non tam prima vice conditorum, quam quidem ex praecedentibus conciliis collectorum et denuo confirmatorum. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. 1. c. p. 201 in fine et sqq.; BIEDERLACK. *Jus eccl. priv.* § 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 32. Vide infra n. 77.

[2] Totam collectionem vide apud MIGNE. P. L. T. 67. col. 141—316; de ea etiam loquitur CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 2. ubi merito Dionysium laudat, „quod *aureas illas* — uti ait — decretales epistolas Romanorum Pontificum collegit, quae saeculis IV et V conscriptae sunt", Animadvertendum tamen collectionem decretalium a Dionysio adornatam, minime fuisse completam, atque multas existere decretales genuinas horum Pontificum, quae quidem in aliis collectionibus inveniuntur v. g. in *Quesnelliana* (vide infra n. 79.), minime vero in Dionysiana. Cfr. MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 226 sqq.; BIEDERLACK. *Jus. eccl. priv.* § 3. Memoratae Decretales antiquiorum R. R. Pontificum saepius in Codice ad calcem canonum citantur; vide v. g. notas ad Can. 218 et 228.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 2; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 42. HERGENRHÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch*[5]. II. p. 94.

[4] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 2. „Quo ex tempore" — ita BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 2. n. 4. — haec collectio ab Hadriano papa Carolo Magno tradita fuit, apostolicam quamdam auctoritatem obtinuit, et *Codex canonum* passim appellari coepit." Attamen, ut notat PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 45, non potuit haec collectio dici stricto sensu publica; saltem hoc non constat. De hac collectione videtur etiam loqui S. Nicolaus I. c. 1. D. XIX, ubi monet, eam non fuisse exclusivam, ac si canones ibid. omissi tuto negligi possent. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars II. Tom. II. p. 250—52; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 140 not. 11. Jure adhuc notat SCHERER. 1. c. I. p. 202 not. 20 in Annalibus Laureshamensibus ex Monasterio Lauresheim (Lorsch) ubi de Synodo Aquisgranensi a 802 sermo est, collectionem hanc non *expresse* nominari; Vide *Monum. Germ. hist.* Scriptorum Tom. I. (Hannov. 1826) p. 39; PHILLIPS. 1. c. p. 44. not. 35, neque commemoratur apud HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 2. p. 1119 sqq.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 202; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 21. VI; BIEDERLACK. *Jus eccl. priv.* § 3.

fectum est in usum manualem, quod vulgo *Epitome Hadriani* vocabatur[1].

Praeter collectiones Dionysii Exigui — ut alias collectiones Italiae, tunc temporis compositas, omittamus[2] — adhuc commemoranda venit alia collectio insignis, quae *Avellana* dicitur[3], quae probabiliter post medium saeculum sextum Romae ab ignoto quodam auctore est composita. Continet 246 (244) epistolas cum Imperatorum et Praefectorum Urbis, tum S. S. Pontificum et Episcoporum ab a. 367 ad a. 553 et celebritatem suam inde potissimum nacta est, quod nobis referat plus quam 200 documenta, quae alibi nusquam inveniuntur[4].

77. Collectiones Africae. In Ecclesia Africana plura habita sunt Concilia, quorum canones insimul colligebantur; quin imo mos erat, ut in sequentibus Conciliis canones priorum Conciliorum recitarentur atque in actis insererentur, ita ut collectio aliquatenus ex officio facta in actis illorum Conciliorum reperiretur[5]. Quod praecipue factum videmus in Concilio Carthaginiensi III (a. 397), ubi *Breviarium quoddam canonum Concilii Hipponensis* (a. 393) confirmabatur[6], et in Concilio Carthaginiensi XVII (a. 419), ubi complures canones antiquiores approbati sunt[7].

---

[1] Cfr. MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 466; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 202. not. 23.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 201. not. 18.

[3] Nomen suum obtinet a monasterio S. Crucis Fontis Avellanae, in dioecesi Eugubina (Gubbio), ubi collectio haec olim conservabatur. Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 12. n. 3; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 787 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 194 not. 16; p. 201—202 et not. 19, ubi loco 243 (documenta) lege 246. Vide BALLERINI. l. c. n. 4. Edita fuit haec collectio ab: OTTO GÜNTHER. in *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum ...* (Vindobonae 1866 sqq.) XXXV. Pars I et II.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 12. n. 1.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 3. n. 1. sqq. Canones Ecclesiae Africanae in omnes fere collectiones antiquas Ecclesiae Latinae transierunt. Cfr. supra n. 76 quoad collectionem Dionysianam et BALLERINI. l. c. n. 1.

[6] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 1. p. 82, 98—100; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 200.

[7] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 3. n. 46 sqq.; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 1. p. 198 sqq.; ibid. p. 201. not. 2; MANSI. *Conc. Coll.* T. 3. col. 699, 709 sqq.; T. 4. col. 419, 423 sqq. Omnes hi canones efformant collectionem quam CHRISTOPHORUS JUSTELLUS (de quo vide supra p. 101 not. 3) e collectione Dionysiana desumpsit, cuique versionem graecam, jam pridem existentem apposuit, cuique praeposuit Titulum nimis generalem a seipso inventum: *Codex canonum Ecclesiae*

Specialem mentionem etiam meretur praeter duos codices canonum in Concilio Carthaginiensi a. 525 commemoratos[1] *Breviatio canonum Fulgentii Ferrandi* (medio Saec. VI), diaconi Ecclesiae Carthaginiensis, qui collectionem systematicam ibi exhibebat in 232 numeros distinctam, canones praesertim Ecclesiae Africanae in compendio referentem[2]. Insuper hic commemoranda veniunt *Statuta Ecclesiae antiqua* in 103 aut 105 canones distincta, quae ficticio cuidam Concilio Carthaginiensi IV (a. 398) tribuuntur[3], quaeque probabiliter exeunte Saec. V in Gallia meridionali ex variis Conciliis tam Orientalibus quam Occidentalibus collecta fuerunt, quorum compilator ignoratur[4].

Ultima collectio Ecclesiae Africanae, per invasionem Mohametanorum jam destructioni proximae, est *Concordia canonum*, quam Saec. VII circiter exeunte CRESCONIUS (aut CRISCONIUS), Episcopus quidam Africanus, ordine systematico composuit, referens canones collectionis Dionysianae in 300 Titulos divisos[5]. Huic praemissum est compendium quoddam totius operis pariter in 300 paragraphos divisum, quod *Breviarium* vocabatur

---

Africanae. Cfr. VOELLUS et JUSTELLUS. *Biblioth. Jur. Can. vet.* I. p. 321; BALLERINI. l. c. n. 2; HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 201 et not. 3; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 200 not. 11.

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. II. c. 3. n. 6; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 1069 sqq; ibid. II. 1. p. 102 in fine.

[2] Cfr. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 118 n. 5 in fine; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. II. c. 3. n. 5; P. IV. c. 1. n. 1. sqq; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 207; MIGNE. P. L. T. 67. col. 949 sqq. et T. 88 col. 817 sqq.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. II. c. 3. n. 17 sqq, vide ibid. n. 21; HEFELE-LECLERQ. *Hist. d. Conc.* II. 1. p. 102. Quodsi Conc. Trid. Sess. XXV. *de ref.* c. 1. provocat ad exemplum: „Patrum nostrorum in Concilio Carthaginiensi" i. e. ad c. 15 hujus ficticii Concilii (c. 7. D. XLI) talis mera allegatio canonem istum non reddit genuinum. Cfr. supra n. 37; BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars. I. p. 153—54 et 156.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. II. c. 3. n. 24 in fine; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 382 sqq; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] p. 187. not. 4*; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 200; ARNOLD in *Realencyklop. f. protest. Theol. u. Kirche.*[3] III. p. 623—24 in v: *Cäsarius von Arles.* Textus (sec. BALLERINI) invenitur apud MIGNE. P. L. T. 56. col. 879 sqq; textus variantes aut alio ordine dispositi apud MANSI. *Conc. Coll.* T. 3. col. 945, 949 sqq; T. 7. col. 893 sqq.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 3. n. 1, 2 sqq; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 207 et not. 48; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 121. n. 8 in fine. Textus invenitur apud MIGNE. P. L. T. 88. col. 829 sqq. sub Titulo: *Breviarium Canonicum*, sed dein pergit: Hic habetur *Concordia canonum . . .*

quodque aliquando separatim ab ipsa Concordia fuit transscriptum, quasi esset peculiaris collectio[1].

78. Collectiones Hispaniae. In Ecclesia Hispanica jam inde a Saec. IV. plura celebrata sunt concilia[2], quorum canones colligebantur et in subsequentibus Conciliis saepius recitabantur[3]. Inter hasce collectiones primo loco notanda venit collectio, quam post annum 561 MARTINUS Archiepiscopus Braccarensis (Braga) († circa 580) ex Conciliis graecis et hispanis composuit, quamque in 84 capitula et in duas partes systematice divisit. Prior pars (a Cap. 1—68) tractat de clericis, altera (a Cap. 69—84) de laicis[4]. Collectio Martini variis nominibus appellata fuit v. g. *Collectio canonum Martini Braccarensis*, *Liber Capitulorum*, *Excerpta Martini*; potissimum vero recurrit sub nomine: *Capitula Martini*[5]. Collectio haec transiit in notissimam collectionem hispanam, de qua statim, ubi ponitur post canones Concilii Braccarensis II ab ipso Martino celebrati (a. 572)[6], dein recepta fuit in collectionem Pseudo-Isidorianam (cfr. infra n. 86 sqq.) et postea in omnes fere collectiones systematicas, quae deinceps apparuerunt, in quibus ejus capitula aliquando falso allegantur, quasi ex *Decretis* aut ex *Concilio Martini Papae*[7].

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 3. n. 2 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 207 et not. 48.

[2] Inter haec Concilia praecipue notantur Conc. (perquam severum) Illiberitanum (Elvira, circa a. 300; cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 212) Caesaraugustanum (Saragossa a. 380; cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. I. 2. p. 986) et septendecim Toletana ab a. 400 (Cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. II. 1. p. 122) usque ad a. 694 (cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. III. 1. p. 586; ibid. etiam p. 590 de XVIII°. et ultimo Conc. Toletano, cujus acta perierunt).

[3] Cfr. v. g. Conc. Braccarense I (Braga) (a. 563) et Braccarense II (a. 572); HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 176, 178 et 194. Vide pariter Can. 4. Conc. Tolet. IV (a. 633); HEFELE-LECLERCQ. l. c. I. 1. p. 93; III. 1. p. 266—268.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 2; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 124. n. 1. et 2; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 88*.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 204; MIGNE. P. L. T. 84. col. 574—586; T. 130. col. 575—588; MANSI. *Conc. Coll.* T. 9. col. 845—860.

[6] Cfr. MIGNE. P. L. T. 84. col. 574—586.

[7] Cfr. v. g. c. 7. D. XXIV; c. 1. D. XXVII; c. 12. D. XXVIII. Sunt Capp. 24, 39 et 29 ex Capitulis Martini. Cfr. BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars I. p. 293—295. Quia inde a Saec. VI titulus *Papae*, qui antea ommnibus Episcopis et in Ecclesia Orientali etiam clericis inferioribus communis erat, soli R. Pontifici reservabatur (Cfr. BEN. XIV. *De Syn. dioec.* L. I. c. 3. n. 4; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* I. p. 206—207), citatio supradicta facile suspicionem movere potuit, ac si constitutiones Summi Pontificis

Praecipue post conversionem Regis Recharedi ejusque populi ab Arianismo ad religionem catholicam (a. 587 et in Conc. Tolet. III a. 589) disciplina ecclesiastica novo fervore in Hispania efflorescere coepit[1]. Collectio notissima istius temporis est *Collectio Hispana*, quae jam in Conc. Tolet. IV (a. 633) sub nomine: *Codex canonum* occurrit[2]; ast, ut videtur, jam diu ante existebat[3], et videtur fuisse evolutio antiquae illius versionis hispanicae, de qua in n. 76 locuti sumus[4]. Vocatur etiam *Isidoriana*, quia Saec. IX S. Isidoro Hispalensi († 636) fuit adscripta, at nullo solido fundamento, ut videtur, et insuper, prout in recensione illo Saec. communiter vulgata habetur, certe posterior est S. Isidoro, quia continet concilia posteriora ejus tempore et pertinet magis ad alterum dimidium Saec. VII[5]. Collectio haec, successione temporum variis additionibus aucta, in duas partes dividitur, quae in editione magis recepta hoc modo materiam exhibent: prior refert canones Conciliorum hoc ordine: 11 Concilia Orientalia, 9 Africana, 17 Gallica et 35 Hispanica; altera pars continet 103 epistolas

---

S. Martini I (649—653) allegarentur. Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 204 not. 32.

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 46; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 222. S. Gregorius M. in epistola sua ad Recharedum, regem Wisigothorum, eum amplissimis verbis collaudat, quod per eum „cuncta Gothorum gens ab errore Arianae haeresis in fidei rectae soliditatem translata est." Cfr. MIGNE. P. L. T. 77. col. 1052; JAFFÉ. *Regesta*[2] n. 1757 (Ed. 1. n. 1279).

[2] Cfr. Can. 4. Conc. Tolet. IV, ubi Diaconus, alba indutus „*codicem canonum* in medio proferens" legit statuta de celebratione Conciliorum. Vide MANSI. *Conc. Coll.* T. 10. col. 618; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 93; III. 1. p. 267, 268; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 205. not. 34. *Codex canonum* citatus in editione primitiva absque additamentis non amplius existit; postea vero, variis additionibus auctus, efformavit collectionem Hispanam proprie dictam Vide PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 49, 57—58; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 4. n. 4.

[3] Ita SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 205. not. 34; aliter fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 4. n. 7, qui propter documentum recentissimum ibid. contentum, nempe Conc. Tolet. IV. (a. 633) ejus originem ponunt post a. 633, sed ante a. 636, cum S. Isidorum in Praefatione sui operis: *Etymologia* inde dependere putent.

[4] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 199 not. 8; Fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. II. c. 2. n. 11, ubi tamen eorum verba, mihi saltem, minime clara sunt, maxime si conjunguntur cum P. III. c. 4. n. 7 ibid.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 205 et not. 34 et 35; BALLERINI: *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 4. n. 12. Auctor collectionis Pseudo-Isidorianae (cfr. infra n. 86 sqq.) prima vice seriem canonum in collectione Hispanica contentum sub nomine S. Isidori retulit, non aliam utique ob causam, quam ut falsitates suas melius tegeret. Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 88* not. 8**.

R. R. Pontificum a S. Damaso (366—384) usque ad S. Gregorium M. († 604)[1]. Collectio Hispana, non secus ac collectio Dionysiana (cfr. supra n. 76) a qua dependet[2], maximam celebritatem nacta est in Ecclesia Occidentali et potissimum quidem in Ecclesia Hispana, ubi veluti collectio authentica adhibebatur[3]. Versus finem Saec. VII collectio haec, quae primitus magis chronologica erat, in ordinem quendam systematicum est redacta, cujus tamen solum Breviarium sive Compendium nobis conservatum est. Compendium hoc referens tantum titulos collectionis systematicae in 10 Libros dividitur et communiter sub nomine: *Excerpta canonum* collectioni chronologicae, uti hodie asservatur, praemittitur[4]

79. Collectiones Galliae. In Ecclesia Gallica praeter collectionem Dionysio-Hadrianam ibi generaliter receptam (cfr. supra n. 76) aliae quoque collectiones factae vel vulgatae sunt, sive fuerunt versiones Conciliorum Orientalium aliunde in Galliam invectae, sive collectiones ibidem compositae decretorum R. R. Pontificum,

---

[1] Ita in editione Matritensi (Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 88* not. 10) quam refert MIGNE. P. L. T. 84, ubi collectio Hispana sive Isidoriana totum hoc volumen replet.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 4. n. 2; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 48; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 206.

[3] Quin imo Alexander III aliquando incidenter hanc collectionem authenticam esse declaravit. Cfr. Epist. Innoc. III. Petro, Archiep. Compostellano. a. 1199, ubi dicit: „Emeritense vero Concilium (i. e. Merida in Lusitania a. 666; cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 303) authenticum esse . . . adstruebas, tum quia cum aliis Conciliis continetur in libro, qui *Corpus canonum* appellatur, quem Alexander Papa (i. e. III) per interlocutionem authenticum approbavit; tum quia . . .“ Cfr. MIGNE. P. L. T. 214. col. 686; POTHAST. *Regesta.* I. n. 783; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 4. n. 12; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 206 et not. 44; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 61.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 5. n. 1. sqq.; vide ibid. n. 4; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 88* in fine; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 813 sqq; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 206 et not. 43. Textus hujus compendii invenitur apud MANSI. *Conc. Coll.* T. 8. col. 1179 sqq.; etiam apud MIGNE. P. L. T. 84 col. 23 sqq. Mira versificatio in modum interrogationis et responsionis praemittitur, cujus inconcinnitatem fratres BALLERINI l. c. n. 5. merito carpunt. En initium, sec. textum, quem refert MIGNE. l. c:

I. „Celsa terribili Codex qui sede locaris
Quis tu es? R. Vitalis ordo. I. Quod inest tibi nomen?
R. Coelestis dicor sanctorum regula voce.“

De universa collectione Hispana ejusque vicissitudinibus cfr. interim BALLERINI. l. c. P. III. c. 4. et 5 et P. IV. c. 5; CAROLUS DE LA SERNA SANTANDER. *Praefatio historico-critica in . . . Collectionem . . . Ecclesiae Hispanae a divo Isidoro . . . adornatam* apud MIGNE. l. c. col. 849 sqq.; brevius PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 46 sqq.

Conciliorum nationalium, Imperatorum quoque ac Regum[1]. Inter hasce collectiones praecipue hic notanda venit ea, quae a primo suo editore PASCHASIO QUESNEL († 1719), Presbytero Oratorii Gallici et Jansenista, vocata est *Quesnelliana*[2]. Haec collectio antiquissima multumque usitata falso a suo editore appellata fuit: *Codex canonum Ecclesiae Romanae*, quia Romae eam ortam esse censebat; constat autem apud criticos, eam exeunte Saec. V aut ineunte Saec. VI in Gallia fuisse compositam, etsi non referat Concilia Galliae[3]. Est collectio systematica in 98 Capitula divisa, in quibus parum ordinate referuntur canones Conciliorum, Epistolae R. R. Pontificum, Constitutiones Imperatorum et sic porro[4].

80. Collectiones Britanniae et Hiberniae. In Ecclesiis Britanniae et Hiberniae praeter collectiones Romanas ibidem vulgatas[5] habe-

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 8 et c. 10; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 500 sqq.; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14]. n. 90*; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203 et 207. Inter Concilia in Gallia celebrata celeberrimum fuit Conc. Arelatense I (a. 314), quod a plurimis episcopis fere universi Occidentis frequentatum fuit. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 275 sqq.

[2] Primo edita est Parisiis a. 1675; cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203. not. 24. De hac editione vide BALLERINI. *De antiquis .... collect.* P. II. c. 8, ubi etiam in appendice textus ipse adjicitur sub titulo: *Codex canonum ecclesiasticorum et constitutorum Sanctae Sedis Apostolicae.* Cfr. MIGNE. P. L. T. 56. col. 359 sqq.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. II. c. 8 et ibid. in annotationibus ad Dissertationem XII Quesnellii; MIGNE. P. L. T. 56. col. 899 sqq. Rationes plures afferuntur a criticis, unde probant originem hujus collectionis non Romae quaerendam esse, sed in Gallia: ita v. g. plura manuscripta hujus collectionis inveniuntur in Gallia, nulla vero in Italia, neque alibi; Dionysius Exiguus hanc collectionem non cognovit, neque haec Dionysianam; c. 5. Conc. Constantinop. I. de praeeminentia Sedis patriarchalis Constantinop. ut primae post Sedem Romanam et huic quasi aequalis in hac collectione invenitur, qui canon, etsi etiam occurrat in Collectione Dionysiana, tamen propter dissensum a parte R. R. Pontificum difficulter assumptus esset in collectionem, quae secundum editorem esset Codex canonum ex officio ab Ecclesia Romana adornatus. Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 90* not. 1*; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203 not. 24; MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 486 sqq; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 31. Perperam etiam a Quesnellio dicebatur, ea, quae non inveniuntur in hoc codice, nullum habuisse valorem. Vide PHILLIPS. l. c. p. 30, 31.

[4] Cfr. MIGNE. P. L. T. 56. col. 899 sqq. De collectione *Dacheriana*, ita vocata ab ejus editore d'ACHERY († 1685) cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I p. 208. not. 53 et de collectione *quadripartita* vide* SCHNEIDER. *Die Lehre von den Kirchenrechtsquellen.* § 17.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203 et not. 26; et passim BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 6. Vide etiam WALTER-

bantur collectiones propriae[1], in quibus praecipue jus nationale continebatur[2]; ad hasce collectiones etiam reduci potest celebre responsum, critice tamen haud certum, S. Gregorii M. ad 11 quaestiones a S. Augustino, Angliae Apostolo († 604) propositas[3]. Potissimum vero commemoranda est collectio quaedam systematica in Hibernia versus initium Saec. VIII facta, quae saepius

---

GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 89, ubi ait in Conciliis provincialibus Anglo-Saxonicis canones Conciliorum oecumenicorum expresse fuisse receptos. In Concilio Herudfordensi a. 673 praesidente Theodoro, Archiep. Cantuariensi, canones sanctorum patrum ab omnibus custodiendi decernebantur, quorum quidam ex quodam libro canonum praelegebantur, qui liber secundum SCHERER. l. c. erat Collectio Dionysiana. Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. 11. col. 127—130; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 310; WALTER-GERLACH. l. c. not. 3.**

[1] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 89. Specialem attentionem hic meretur *Dialogus* EGBERTI, Archiep. Eboracens. (York) († 767) . . . *de institutione ecclesiastica* apud* WILKINS. *Concilia Britanniae.* I. p. 82—86; MANSI. *Conc. Coll.* T. 12. col. 482—488. Vide ibid. resp. 2. de duplici teste quoad verba moribundorum; resp. XVI. de jejunio quatuor temporum, ubi praecipue ad Vetus Testamentum remittitur.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203 et not. 27; maximo in honore semper habebantur effata S. Patricii, Apostoli Hiberniae († 465 ?); cfr. v. g. L. XI. c. 12; L. XXV. c. 3 et 4; L. XXIX. c. 7. et 8 in *Collectione Hibernensi*, de qua statim in textu.

[3] Responsum hoc habetur quidem apud: BEDA. *Historia ecclesiastica.* L. I. c. 27; MIGNE. P. L. T. 95. col. 57 sqq., ex quo quidem sequitur apud Anglos illo tempore exstitisse hanc epistolam, attamen jam tempore S. Bonifacii, Germaniae et Neerlandiae Apostoli, natione Angli et Vener. Bedae coaetanei de authenticitate hujus epistolae dubitabatur. Cum enim hic. a. 735 (745 ?) ab Archiepiscopo Cantuariensi Nothelmo exemplar hujus responsi petiit haec addidit: „scrupulosa cautela diligenter investigare studeatis, si illa conscriptio supradicta Patris nostri S. Gregorii esse comprobetur, an non, quia in scrinio Romanae Ecclesiae, ut adfirment Scriniarii, cum ceteris exemplaribus supradicti Pontificis quaesita non inveniebatur." Vide haec verba relata apud BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars. II. Tom. II. p. 95, 96, ubi occasione plurium canonum ex responso S. Gregorii in Decreto Gratiani occurrentium rationes exponit, cur responsum cit. dubiae fidei esse aestimet. Cfr. etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203. not. 27. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 123. n. 2 asserit authenticitatem hujus responsi hodiedum fere communiter negari. Vide fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 8. n. 7 ubi de duplici forma textus hujus responsi disserunt, sed de authenticitate ejus nullum dubium movent. Una forma habetur inter opera S. Gregorii M. apud MIGNE. P. L. T. 77. col. 1183 sqq.; alia, quae fere consonat cum textu a Ven. Beda relato invenitur in collectione Pseudo-Isidoriana; MIGNE. P. L. T. 130. col. 1120 sqq. Fratres BALLERINI. l. c. adhuc tertiam formam referunt, ubi S. Gregor. initio narrat, se cum nuntii S. Augustini Romae commorarentur, propter malum podagrae latius eorum quaestionibus respondere non valuisse. JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 1843 in Ed. 2. (nondum in Ed. 1. n. 1414) hanc epistolam pariter ambiguae fidei esse dicit.

vocatur *Collectio Hibernensis*[1]. In variis Codicibus, in quibus invenitur, dividitur in 64—69 Libros et licet ordine logico careat et plura hauriat ex jure nationali, tamen suum influxum habuit, non tantum in Hibernia et Britannia, sed etiam in Gallia et in Italia[2].

Articulus II

De Collectionibus juris specialis

81. Divisio. Uti collectiones juris generalis varias materias disciplinae ecclesiasticae comprehendunt, ita collectiones juris specialis certas tantum materias juris ecclesiastici continent. Pro tempore, de quo hic agimus, praecipue enumerantur: *libri poenitentiales*, *libri liturgici*, et *collectiones formularum*.

82. Libri poenitentiales[3]. Cum administratio Sacramenti poenitentiae et poenitentiae canonicae[4] magnam partem officii

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 7; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 203—204 et not. 28 et 29. Praecipue tamen hic cfr. HERRMANN WASSERSCHLEBEN. *Die Irische Canonensammlung*[2]. (Leipzig. 1885), ubi post doctam introductionem integer textus typis impressus exhibetur. MANSI. *Conc. Coll.* T. 12. col. 118—144 solummodo partes quasdam hujus collectionis refert.

[2] Cfr. passim WASSERSCHLEBEN. *Die Irische Canonensammlung*[2]. Einleitung. p. XIII-XXXV. In editione ibid. impressa divisio fit in 67 Libros. Vide adhuc MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 877 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. p. 204 et not. 28—30.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 6; F. W. H. WASSERSCHLEBEN. *Die Bussordnungen der abendländischen Kirche.* (Halle 1851); HERM. JOS. SCHMITZ. *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche.* (I. Mainz 1883); *II. *Die Bussbücher und das kanonische Bussverfahren* (Düsseldorf 1898); Idem. Antikritik in *Archiv. f. Kath. Kirchr.* Bd. 51 (1884) p. 25 sqq.; p. 481; VERING in *Kirchenlexikon*[2] i. v. *Beichtbücher*; Idem in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 30 (1873) p. 204 sqq.; p. 365 sqq. (etsi quaedam accuratius ibid. enuntiari potuissent, non tamen meretur vituperationes, quas SCHULTE. *Gesch. d. Quell. u. Lit. d. Can. R.* II. p. 512. not. 1. ipsi infligit). Quoad materiam poenitentialem, de qua proprie moralistarum est profundius agere cfr. adhuc inter antiquiores: MORINUS. *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae.* (Parisiis 1651) et inter auctores modernos A. D'ALÉS. *L'Édit de Calliste.* Étude sur les origines de la pénitence chrétienne (Paris 1914); G. BICKELL in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* I (1877) p. 410 sqq. Alios auctores vide apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48 initio, item apud WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 93. not. 1, qui ibid. testatur, se in hac materia omnino sequi WASSERSCHLEBEN supra cit. Bibliographiam sat amplam quoad hanc materiam vide apud OSCAR HUF. S. J. *Een woord over Liturgie-Literatuur.* (Nijmegen 1914) i. v. *Biecht.* p. 73*.

[4] Remissa ulteriori inquisitione quoad notionem *poenitentiae canonicae* commentariis Libri V. Codicis, nomine poenitentiae canonicae venit alicujus laboriosi operis frequentatio a competente Superiore in foro externo im-

sacri constitueret, plures jam a primis temporibus editi erant canones, quibus haec administratio ordinaretur[1]; deinceps in usum practicum varii canones poenitentiales in collectionibus specialibus conjuncti fuerunt, quae collectiones mirum in modum mores populorum illius aetatis nobis manifestant, quaeque ad supellectilem necessarium pastorum animarum referebantur[2]. In Oriente potissimum commemorandae veniunt *tres epistolae*, quae dicuntur *canonicae* S. BASILII *ad Amphilochium*, quibus materiam poenitentialem accuratius ordinavit, quaeque etiam in Occidente suum influxum habuerunt[3]. In Occidente plures habebantur libri poeni-

---

posita et voluntarie suscepta ad satisfaciendum Deo et societati ecclesiasticae. Cfr. JACOBUS SOLE. *De delictis et poenis.* (Romae 1920) n. 305—306; CARD. MICH. LEGA. *Praelectiones . . . de Judiciis ecclesiasticis.* (Romae 1896 sqq.) L. II. Vol. III. n. 56, 57; CAVAGNIS. *Instit. Jur. publ. eccl.*[4] I. n. 282, 283; WERNZ. *Jus Decr.* VI. n. 249—251; BENEDICTUS OJETTI. *Synopsis rerum moralium et juris pontificii*[3]. (Romae 1909 sqq.) II. i. v. *Poenitentia canonica.* Poenitentiae canonicae, uti vulgo intelliguntur ab auctoribus cit. et etiam in Codice Can. 2312. § 1 tantum imponuntur in foro externo et distinguuntur non tantum a poenitentia sacramentali, sed etiam ab omni poenitentia privata in foro interno, etiam extra-sacramentali (Cfr. Can. 196) imposita.

[1] Cfr. v. g. canones Conc. Ancyrani (a. 314) et Conc. (perquam severi) Illiberitani (Elvira, circa a. 300); MANSI. *Conc. Coll.* T. 2. col. 1 et 513 sqq.; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* I. 1. p. 212 et 298 sqq. Vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. I. not 1. et 2; PITRA *Jur. eccl. Graec. Hist. et Monum.* I. p. 551 sqq., de canonib. poenitent. S. Petri Alexandrini Ep. et M. († 311).

[2] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 6; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. II. et not. 4; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 1; ANSEGISUS. *Capitularia.* I. n. 154; MIGNE. P. L. T. 97. col. 532. (Vide supra p. 74 not. 4); REGINO. *Libellus de ecclesiasticis disciplinis . . .* (vide infra n. 97) Lib. I. initio. Inquisitio Episcopi. n. 95 (al. 96) (. . inquirendum est): „Si habeat (presbyter) Poenitentiale Romanum, vel a Theodoro episcopo aut a venerabili presbytero Beda editum; ut secundum quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confesso modum poenitentiae imponat." MIGNE. P. L. T. 132. col. 191.

[3] Authentia harum epistolarum a nonnullis auctoribus S. Basilio abjudicatur et quidem prima vice ab F. MARCELLIN. MOLKENBUHR. O. S. Franc. strict. Observ. *Quinque dissertationes criticae.* Dissert. I. (Monasterii Westph. 1791) et post ipsum — ut alios omittamus — ab ANTON JOS. BINTERIM. *Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der Christ-Katholischen Kirche.* (Mainz 1825 sqq.) Bd. V. Th. 3. p. 366—379 et negari quidem nequit, difficultates ibid. expositas saltem ex parte serias videri, ast PITRA. *Jur. eccl. Graec. Hist. et Monum.* I. p. 576 sqq., in specie p. 613 sqq. et SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 39—41 conantur eas refutare, neque videntur sufficienter probatae ipsi BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* III. p. 156; aliter SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I § 48. not. 2. Textus invenitur apud MIGNE P. G. T. 32. col. 663, 715, 794 sqq. Quoad alios libros poenitentiales in Oriente compositos, v. g. JOANNIS NESTEUTAE (Jejunatoris), patri-

tentiales, qui tamen non semper eos habebant auctores, quorum nomine inscribebantur.

Ita v. g. in Britannia et in Hibernia occurrunt libri poenitentiales, THEODORO, Archiepiscopo Cantuariensi († 690), S. BEDAE VENERABILI († 735), EGBERTO, Archiepiscopo Eboracensi († 767)[1], aliisque tributi, de quorum auctore atque origine adhuc disputant critici[2]. In Gallia plures orti sunt libri poenitentiales, aut a Brittania ibidem introducti erant, qui tamen propter praxin saepe diversam confusionem gignebant et in quos nonnunquam graves abusus irrepserant, quare merito a quibusdam Conciliis proscribebantur[3]. Haec etiam causa fuisse videtur, cur HALTIGARUS Episcopus Cameracensis († 831), rogante Ebbone,

archae Constantinopolitani († 595) aliorumque, quorum nomine quaedam collectiones insigniuntur, etsi, saltem uti hodie exstant, videntur esse aetatis recentioris, cfr. VERING in *Kirchenlexikon*[2] II. i. v. *Beichtbücher*, ubi etiam col. 211 loquitur de opere apocrypho, quod vocatur *Canones poenitentiales Apostolorum.*

[1] De eorum falsa inscriptione aut partiali tantum authentia vide BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 6 et insuper SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 510, 550, 565, 572 sqq., ubi etiam textus harum collectionum invenitur. Cfr. etiam MIGNE. P. L. T. 99. col. 927 sqq.; T. 89. col. 443 sqq.; ibid. etiam col. 401 sqq. Theodorus, Archiep. Cantuariensis, qui Tarso in Cilicia oriundus erat atque ita traditionem Orientis cum ea Occidentis conjungebat, magnum influxum habuit non tantum in Ecclesia Britanniae, ubi mores Ecclesiae Romanae confirmare studuerat, sed in omnibus Ecclesiis Occidentis. Cfr. BEDA. *Hist. eccl.* L. IV. c. 1, 2, 5, 17 sqq.; MIGNE. P. L. T. 95. col. 171 sqq.; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 111, 112; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. IV. De libris poenitentialibus antiquioribus, v. g. VINNIAI, GILDAE aliorumque, qui omnes perquam severi sunt vide SCHMITZ. l. c. p. 494, 497 sqq.; SCHERER. l. c. III. et not. 6.

[2] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 93 passim; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. IV et auctores ibid. in notis cit. Cfr. etiam SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 602 sqq. de poenitentiali CUMMEANI, cujus auctor incertus est et pro quo nonnunquam ex errore scribebatur: *Hieronymus.* Vide etiam SCHERER. l. c. VI. not. 21 et 22.

[3] Cfr. Can. 38 Conc. Cabilonen. (Chalons) II (a. 813); Can. 32. Conc. Paris VI (a. 829); MANSI. *Conc. Coll.* T. 14. col. 101 et 559—560; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 2. p. 1144—1145; IV. 1. p. 65; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 713; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 114; VERING in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 30 (1873) p. 217. not. 1; Idem in *Lehrb. d. .. Kirchr.*[3] § 24. VII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. II. et not. 3. et VI. Cfr. etiam Can. 22. Conc. Turon. III (a. 813); MANSI. l. c. col. 86. In nonnullis libris poenitentialibus laxismus irrepserat, eo quod gravia peccata, v. g. contra naturam, non tantum sub minoribus peccatis recenserentur (quod forte incuriae compilatoris adscribendum erat), sed etiam poenitentiis relative minoribus punirentur, aut graves poenitentiae per *redemptiones* nimis leves, puta per eleemosynam exiguam, redimi possent. Cfr. SCHMITZ. l. c. p. 567, 575, 585 sqq. Vide etiam SCHERER. l. c. not. 16.

Archiepiscopo Rhemensi, novam collectionem composuerit quinque libros de Poenitentia complectentem[1], quibus tamquam liber sextus *Liber Poenitentialis Ecclesiae Romanae* adjiciebatur[2]. In Germania celeberrimae factae sunt duae collectiones poenitentiales, quas RHABANUS MAURUS, Abbas Fuldensis et postea Archiepiscopus Moguntinus († 856) composuit[3].

In Italia etiam plures occurrebant libri poenitentiales[4] atque negari nequit Romae exstitisse quendam *ordinem poenitentiae*, qui in libros poenitentiales aliarum regionum magnum influxum habuerit[5]; attamen titulus *Poenitentiale Romanum*, qui in ipsis aliquando occurrit, saepe est ficticius[6] et multo minus admitti

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 8. n. 3; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 719 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. VI. Textus invenitur apud MIGNE. P. L. T. 105. col. 651 sqq.

[2] Cfr. MIGNE. P. L. T. 105. col. 693 sqq.; et col. 717 sqq.; inscribitur: *Liber Poenitentialis ex scrinio Romanae Ecclesiae assumptus.* Vide statim in textu et notas sqq. Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 8. n. 3; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 719; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. V. not. 15. et VI c. not. 23. De aliis libris poenitentialibus gallicis v. g. de collectione Vaticana cfr. BALLERINI. l. c. c. 6. n. 6 et SCHERER. l. c. p. 213 et not. 24, itemque de Poenitentiali, Egberto adscripto sub Titulo: *Excerptiones Egberti* (desumpto, ut videtur, ex vero Egberti opere: *De Sacerdotali Jure*) vide BALLERINI. l. c. n. n. 4—6; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 89 in fine; SCHERER. l. c. p. 213 et not. 25. Textus invenitur apud MIGNE. P. L. T. 89. col. 379 sqq.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis collect* ... P. IV. c. 8. n. 4 et 5; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 733 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I § 48 VI in fine et not. 26. Textus invenitur apud MIGNE. P. L. T. 112. col. 1397 sqq.; col. 1510 et T. 110. col. 467 sqq.

[4] Cfr. SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 227 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. V.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. V; SCHMITZ. **Die Bussbücher.* II. p. 138 sqq.; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 37. I. Praxis autem poenitentiae publicae, quae Romae in usu erat (cfr. SCHMITZ. l. c. I. p. 712) non ubique introducta erat. Ita ait v. g. Poenitentiale Theodori (L. I. c. 13. § 4, apud SCHMITZ l. c. p. 535 secundum Codic. Vindob. n. 2195. Fol. 2): „Reconciliatio ideo in hac provincia (scil. Anglo-Saxonica) publice statuta non est, quia et publica poenitentia non est." Apud MIGNE. P. L. T. 99. col. 936; cfr. etiam SCHMITZ l. c. p. 520, et 712.

[6] Cfr. SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I. p. 167 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. V. De significatione hujus inscriptionis diversimode opinantur auctores. Ita — relictis sententiis antiquioribus — WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 93. sub 15. post WASSERSCHLEBEN. *Die Bussordnungen.* p. 72—77 censet, hanc denominationem designare libros poenitentiales communiter receptos in oppositione ad alios variis regionibus proprios; SCHMITZ vero l. c. p. 167 sqq. post perlustrationem plurium manuscriptorum et detecto a se poenitentiali Valicellano (ibid. p. 227 sqq.) opinatur hanc inscriptionem significare classem quandam

potest, quoddam Poenitentiale Romanum unquam a R. R. Pontificibus pro Ecclesia universali fuisse praescriptum[1].

83. Libri liturgici[2]. Ex libris liturgicis, qui in Ecclesia Graeca

---

librorum poenitentialium, qui variis temporibus quidem compositi sunt, sed originem trahunt ex urbe Romae, quique in ordinationibus suis jus commune referunt. Idem in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 33 (1875) p. 3 sqq. et Bd. 34 (1875) p. 233 sqq. Huic adstipulatur VERING in *Lehrb. d. . . Kirchr.*[3] § 24. VI, qui antea in *Archiv f. Kath. Kirchr.* Bd. 30 (1873) p. 213 sqq. sententiam a WASSERSCHLEBEN propugnatam secutus fuerat.

[1] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 48. V; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 222; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 115, qui tamen errare videtur ibid. opinando, talem librum Romae non in usu fuisse. Canones poenitentiales 47, qui vulgo in editionibus Corporis Juris Canonici Decreto Gratiani adjiciuntur, desumpti sunt ex *Summa aurea* HOSTIENSIS, i. e. HENRICI DE SEGUSIO († 1271), Cardinalis Ostiensis. Cfr. LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 228; SCHULTE. *Gesch. d. Quell. u. Lit. d. Can. R.* II. p. 128—129. Quoad libros poenitentiales temporis ulterioris cfr. adhuc VERING. *Lehrb. d. . . Kirchr.*[3] § 24. VIII—X; SCHERER. l. c. § 55. VIII. Pro praxi paulo obscuriori confessionis sacramentalis secretae in prioribus saeculis, unde nonnisi rariora testimonia ad nos delata sunt, conferantur auctores supra p. 119 not. 3 cit. et cum selectu historici et theologi recentiores. Vide BICKELL. in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* I. (1877) p. 411—413, ubi suas conclusiones proponit et i. a. adstruit etiam in primis saeculis omne peccatum mortale etiam in confessione sacramentali secreta sacerdoti fuisse manifestandum; cfr. uberius VACANDARD in *Dict. de Théol. Cath.* III i. v. *Confession du Ier au XIIIe siècle* col. 838 sqq. qui etiam ibid. col. 857—859 monet, ipsam confessionem publicam fuisse exceptionalem, quatenus nec omnia peccata publice patrata, nec peccata secrete commissa publice confitenda essent. Vide adhuc HEINR. BRUDERS S. J. in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XXIV (1910) p. 526 sqq. qui ibid. p. 527 et p. 542—543 suas conclusiones profert. BICKELL l. c. p. 410 et 440 et BRUDERS. l. c. p. 542—543 in poenitentia publica et in absentia confessionis venialium rationes graves agnoscunt, cur nonnisi rariora testimonia pro confessione secreta priorum saeculorum nobis tradita sint. Jam S. ALPH. *Risposta apologetica sulla materia della communione frequente* in *Apologie e Confutazioni* (Monza 1832) II. p. 148 cum multis aliis ibid. cit. monet ante Saec. VIII non fuisse usum confitendi peccata venialia; intellige in Eccl. Occid, quia in Eccl. Orient. hic usus jam occurrit inde a Saec. II vel III.; cfr. VACANDARD l. c. col. 852—854. Praxis poenitentiae paulatim pro conditione temporis mitior evasit; systema *redemptionum* partim remansit in instituto *indulgentiarum*, ubi adhuc formulae: *septem annorum* etc. explicari debent secundum praxin poenitentiae canonicae priorum temporum. Cfr. VERING in *Lehrb. d. . . Kirchr.*[3] § 24 XII. De conatibus nonnullorum, v. g. S. Caroli Borromei († 1584) restituendi praxin antiquam poenitentiae cfr. VERING l. c. XI; SCHMITZ. *Die Bussbücher.* I p. 9. Jure *Catechismus Romanus.* Pars II. c. 5. Q. 74 monet: „ut . . . poenitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operae pretium erit, interdum eis significare, quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescripto, qui poenitentiales vocantur, constitutae sint."

[2] Cfr. JOS. ALOYS. ASSEMANUS. *Codex Liturgicus Ecclesiae universae.* (Parisiis-Lipsiae 1902); LUDOVIC. MURATORI. *Liturgia Romana vetus* (Opere. T. XIII, P. I et II. Arezzo. 1771—72); VALENTIN THALHOFER. *Handbuch der Katholischen Liturgik.* Ed. 2. proc. ab EISENHOFER.

Euchologia vocantur, in Ecclesia Latina vero *Libri mysteriorum*, *Libri Sacramentorum*, aut simpliciter *Sacramentaria*[1], tres collectiones seu tria Sacramentaria potissimum hic commemoranda veniunt, nempe *Sacramentarium Leonianum*, *Gelasianum*, et *Gregorianum*[2].

Primum est veluti antiquissima collectio orationum Missae a primo editore attributa S. Leoni Magno (440—461), sed certo certius Romae privata tantum auctoritate composita et quidem, ut videtur, versus finem Saec. V[3]. Alterum pariter est collectio orationum Missae, partim, ut videtur, a S. Gelasio I (492—496) composita[4], quae dein variis aucta est additionibus, Ecclesiam

---

(Freiburg 1912); FERDIN. PROBST. *Die ältesten Römischen Sacramentarien und Ordines.* (Münster i. Westf. 1892); L. DUCHESNE. *Origines du culte chrétien.* (Paris 1889; Ed. 3. 1903). Ulteriorem bibliographiam vide apud HUF. *Een woord over Liturgie-Literatuur.* p. 1* sqq.

[1] Cfr. DUCHESNE. *Origines du culte chrét.*[3] p. 110; THALHOFER-EISENHOFER. *Handb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 63; FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX i. v. *Liturgical books*, col. 297. ubi hic auctor notat nomen: *Sacramentum*, *Sacramenta* hic significare Missam.

[2] Quoad tria haec Sacramentaria L. Duchesne non in editione celebri: *Le Liber Pontificalis* (Paris 1886—1892), uti putat cl. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 224. not. 205 (cfr. e contra *Lib. Pontif.* I. p. 257 n. 14. coll. c. I. p. 313 n. 5 et II. p. 564: Additions ad I. p. 257 n. 14.) sed in opere cit: *Origines du culte chrét.*[3] p. 119 sqq. sententiam ab acceptione traditionali diversam proponit et nimis facile novas hypotheses admittit, quem merito refutat PROBST in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XV (1891) p. 193 sqq.; vide adhuc ibid. p. 204 et p. 213, ubi in fine dicit: „Weil wir den Commentator des *Liber pontificalis* hoch schätzen, ist es uns leid, dem Verfasser der Schrift: *Origines du culte chr.*, nicht in gleicher Weise beistimmen zu können."

[3] Ita THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 64; PROBST. *Die ältest. Röm. Sacrament.* p. 53 sqq.; idem in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XV (1891) p. 194 sqq., ubi refutat DUCHESNE qui in *Origines du culte chrét.*[3] p. 135 sqq. (vide ibid. p. 139) ut tempus compositionis assignat dimidium aut finem Saec. VI; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 102. n. 2 in fine jam pervenit ad Saec. VII; item *BUCHWALD. *Das sogen. Sacramentarium Leonianum* (Breslau 1908) citatum apud FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. p. 298. Est compilatio confusa, cujus textus mutilus tantum nobis transmissus est ex unico hucusque manuscripto scil. Codice Veronensi et invenitur i. a. apud: ASSEMANUS. *Codex Liturgicus.* Tom. VI; item apud MIGNE. P. L. T. 55. col. 21 sqq. sec. editionem Ballerini. Optima editio hodie est quam procuravit Charl. Lett FELTOE *Sacramentarium Leonianum* (Cambridge 1896).

[4] Ita THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 64—65; PROBST. *Die ältest. Röm. Sacrament.* p. 143 sqq.; idem in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XV (1891) p. 197 sqq., ubi refutat DUCHESNE qui in *Origines du culte chrét.*[3] p. 125 sqq. (vide ibid. p. 128—130) totum hoc Sacramentarium S. Gelasio abjudicat et attribuit Saec. VII ant VIII. BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 119. n. 1. magis in sententiam Duchesne inclinare videtur. Varias sententias refert etiam FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. p. 298.

Gallicam etiam respicientibus[1]. Tertium nonnunquam *Hadrianum* vocatur, quia Liturgiam Romanam, quae temporibus Hadriani I (772—795) in usu erat, repraesentat[2]; attamen hoc non impedit quominus quoad substantiam tribuendum sit S. Gregorio M. (590—604); postea tamen variis additamentis locupletatum est[3]. Sacramentarium Gregorianum ab Hadriano I circa a. 784—791 dono datum fuit Carolo Magno, qui hoc in regnum suum ubique introduxit[4].

Saeculis subsequentibus inter libros liturgicos potissimum eminent *Ordines* et praeprimis *Ordines Romani*, qui sunt veluti repertoria omnium rituum, quas nunc rubricas vocamus[5]; antiquissimus eorum videtur adscribi posse Saec. VII, vel etiam Saec. VI[6]. Ex Sacramentariis et Ordinibus Romanis orti sunt libri liturgici hodierni: *Missale Romanum*, *Caeremoniale*, *Pontificale* et *Rituale*[7].

---

[1] Cfr. FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. p. 298; THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 65. Textus invenitur i. a. apud: ASSEMANUS. *Codex Liturgicus.* Tom. IV. Pars altera. p. 1 sqq.; MIGNE. P. L. T. 74. col. 1049, 1055 sqq. sec. editionem Muratori. Optima editio est, quam procuravit * H. A. WILSON. *The Gelasian Sacramentary.* (Oxford 1894).

[2] Ita DUCHESNE. *Origines du culte chrét.*[3] p. 120 et praesertim p. 123 et 125.

[3] Ita THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 65; PROBST. *Die ältest. Röm. Sacrament.* p. 297 sqq.; idem in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XV (1891) p. 209 sqq., ubi sententiam a Duchesne propositam paulo corrigit. Originem — quoad substantiam — Gregorianam non rejiciunt BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 123. n. 2. in fine neque FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. p. 299.

[4] Cfr. THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 65; DUCHESNE. *Origines du culte chrét.*[3] p. 120; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 123. n. 2. in fine. Textus invenitur i. a. apud MURATORI. *Liturgia Rom. vetus.* P. II. p. 491 sqq. (est optima editio); item apud MIGNE. P. L. T. 78. col. 25 sqq. sec. edit. Menardi. O. S. Ben. e Congr. S. Maur.

[5] Cfr. THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 77 sqq.; DUCHESNE. *Origines du culte chrét.*[3] p. 111 et 146 sqq.; FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. p. 300; CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 6. Sexdecim Ordines Romanos cum commentariis (16-mus est tantum Index) refert MABILLON in suo opere: *Museum Italicum* (Lutet. Paris 1724), ibid. in Tom. II. Eundem textum cum commentariis ejusdem doctissimi Mabillon iterum recusit MIGNE. P. L. T. 78. col. 851 sqq.

[6] Cfr. THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 78; EINIG in *Kirchenlexikon*[2]. IX. col. 1029 i. v. *Ordo* et *Ordines Romani.* Alii tempori recentiori (puta circa a. 800) vel antiquissimum eorum adscribunt. Ita SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 49. not. 5. post MECKEL in *Theol. Quartalschr.* (Tübingen) 1862 p. 50. sqq.; vide ibid. p. 59. Cfr. etiam WALTER GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 94 et not. 1**.

[7] Cfr. THALHOFER-EISENHOFER. *Hdb. d. Kath. Liturg.*[2] I. p. 78,

84. Collectiones formularum. Hoc nomine veniunt eae collectiones, in quibus exhibebantur *formulae practicae* scribendi documenta et expediendi negotia in foro ecclesiastico[1], uti etiam similes collectiones habebantur pro foro civili[2]. Inter hasce collectiones primum locum obtinet *Liber*, qui dicitur *diurnus*, quae fuit collectio formularum Cancellariae Ecclesiae Romanae, in usu adhibita usque ad Saec. XI (Greg. VII. 1073—1085). Videtur jam compositus fuisse saltem magna ex parte Saec. VII, refert etiam formulas antiquiores jam a tempore S. Gelasii I (492—496) et S. Gregorii M. (590—604)[3]; continet autem i. a. formulas scribendi epistolas R. Pontificis, formulas electionis et ordinationis R. Pontificis et Episcopi suburbicarii una cum privilegiis, praeceptis et aliis hujusmodi huc pertinentibus[4].

---

83 sqq.; FORTESCUE in *The Catholic Encyclopedia.* IX. i. v. *Liturgical books* passim. Item passim in *Kirchenlexikon*[2]. i. v. *Liturgien.* VIII. col. 30 sqq.; i. v. *Ordines Romani.* IX. col. 1031; i. v. *Ritualbücher, Rituale Romanum.* X. col. 1216—1217; i. v. *Sacramentarien.* X. col. 1480—1481.

[1] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 94; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 117—118; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 49. I. Pro tempore recentiori nota est collectio, quam edidit FRANC. MONACELLI. *Formularium legale practicum.* (Venetiis 1764).

[2] Ita jam circa a. 660 publicati erant MARCULFI, monachi. *Formularum libri duo,* quorum textum vide apud MANSI, *Conc. Coll.* T. 18-bis col. 369 sqq.; item apud MIGNE. P. L. T. 87. col. 691 sqq.; ibid. etiam referuntur plures aliae formulae aut saltem conceptus earum, partim ad forum civile et partim ad forum ecclesiasticum pertinentia. Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 49 et not. 1 et 2; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 94 et not. 4; MACKELDEY-FRITZ. *Lehrb. d. Röm. Rechts*[14]. I. § 90. Vide etiam MIGNE. P. L. T. 69. col. 679—734, ubi inveniuntur formulae a CASSIODORO († circa a. 570) in suo opere: *Variae* (h. e. epistolae) Lib. VI. et VII collectae; SCHERER. l. c. not. 3; BARDENHEWER. *Patrologie*[3]. § 120. n. 3.

[3] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 94 et not. 5*; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 49. II. et not. 3; KOBER in *Kirchenlexikon.*[2] VII. col. 1881 sqq. i. v. *Liber diurnus*; W. PEITZ. S. J. **Liber Diurnus* I. Überlieferung des Kanzleibuches und sein vorgregorianischer Ursprung. (Sitzungsberichte d. k. Akademie der Wissenschaften. Bd. 185. Abh. 4. Wien 1918); Il „*Liber Diurnus*" in *La Civiltà Cattolica.* (Napoli 1850 sqq.; dein Roma) a. 1920. Vol. III. p. 438 sqq.

[4] Cfr. CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 6; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 118; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 49. II. not. 3; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 94 in fine. Textus minus perfectus sec. Garnerium. (Garnier. S. J.) invenitur apud MIGNE. P. L. T. 105. col. 11 sqq. Optima editio est, quam procuravit. *EUGÈNE DE ROZIÈRE. *Liber diurnus* ou receuil des formules, usitées par la chancellerie pontificale du Ve au XIe siècle publié d'après le manuscrit des archives du Vatican . . . (Paris 1869). Hic auctor etiam ibid. Praef. p. 21, 27 dicit hunc librum compositum fuisse inter ann. 685—751 et continere etiam formulas jam a tempore S. Gelasii I et S. Gregorii M. usitatas.

Caput IV

De Collectionibus spuriis Saeculi IX

85. Praenotanda. Jam primis Ecclesiae saeculis (cfr. supra n. 65 sqq.) atque deinceps, non obstante vigilantia Episcoporum et imprimis R. R. Pontificum[1], plures circumferebantur *collectiones spuriae;* quod tamen praecipue accidit Saec. IX[2]. Inter eas primum locum obtinet collectio, quae dicitur *Pseudo-Isidoriana;* quare de hac primum nunc agemus et dein duas alias collectiones spurias hujus saeculi subnectemus.

Articulus I

De Collectione Pseudo-Isidoriana[3]

86. Nomen, Auctor ignotus se vocat *Isidorum;* dicit enim in praefatione sua: „*Isidorus Mercator* servus Christi lectori conservo suo et parens (al. parenti) in Domino fidaei salutem"[4].

---

[1] Cfr. MAASSEN. *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 410—420; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 42. IV; § 44. V. et not. 12; § 47. IX. Jam S. Innocentius I a. 414 queritur de falsis epistolis; vide JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 304. (Ed. 1. n. 101); MIGNE. P. L. T. 20. col. 537.

[2] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 65; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. I. et not. 2.

[3] Cfr. hic praecipue opus classicum de hac materia juxta 64 Codices manuscriptos compositum: PAUL HINSCHIUS. *Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni.* (Lipsiae 1863); dein ex antiquioribus: CAROLUS BLASCUS. *De collectione canonum Isidori Mercatoris Commentarius.* (Neapoli 1760); BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6—8. Amplam bibliographiam vide apud SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 265 sqq. i. v. *Pseudoisidor,* ubi etiam fere perfecta expositio doctrinae datur; dein apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50 initio; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 1*. Quoad historicos vide HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5]. II. p. 118 sqq.; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* III. p. 427 sqq. Quoad opus citatum HINSCHII adhuc est notandum, ibid. tantum partes spurias Ps-Isidori critice secundum codices manuscriptos esse editas, partes genuinas vero diligenter quidem esse relatas, sed tam ob temporis, quam ob pecuniae penuriam non pari crisi esse indagatas. Cfr. HINSCHIUS. op. cit. Praefatio p. VII, VIII; SECKEL. op. cit. p. 269.

[4] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 17 secundum Codicem Mutinensem, scriptum ante a. 881 de quo vide ibid. p. XIX. De Codice Vaticano 630, quem fratres Ballerini antiquissimum esse putarunt vide: HINSCHIUS l. c. p. XVII—XVIII, LXI sqq., qui ibid. p. XVII Saec. XI aut XII eum adscribit. Textus, quem refert MIGNE P. L. T. 130 est textus imperfectior, desumptus ex opere: *Tomus primus I V conciliorum generalium...* JACOBI MERLIN. (Paris 1523; Coloniae 1530); hanc ultimam editionem

Nomen *Mercatoris* probabilius venit a MARIO MERCATORE († circa 450) defensore doctrinae S. Augustini, ex cujus praefatione in sermones Nestorii initium suae praefationis transscripsit ‚cujusque nomini nomen Isidori supposuit[1]. Loco „*Mercator*" per errorem, ut videtur, amanuensium, nonnunquam legitur „*peccator*" aut „*mercatus*"[2]. Quis auctor fuerit, ignoratur[3]; certum tamen est, ipsum non fuisse S. Isidorum Hispalensem († 636), uti saepius antea existimatum est[4] et quem ipse se esse fingit[5]. Etenim refert i. a. Concilia, quae nonnisi post mortem S. Isidori celebrata fuerunt (v. g. Conc. Tolet. V. a. 636[6] et sequentia usque ad Conc. Tolet. XIII a. 683[7]) et in Praefatione mentionem facit Concilii Constant. III a. 680[8], dein ante medium Saec. nonum nunquam citabatur et cum primo apparuit, non in Hispania sed in Gallia detegebatur, neque inter opera celeberrima S. Isidori Hispalensis recensetur[9].

Coloniensem anni 1530 MIGNE denuo „sine ulla diligentia et cura", ut ait HINSCHIUS l. c. p. LXXII typis expressit. Vide etiam WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 1* et not. 7**.

[1] HINSCHIUS qui in *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXXX dixerat se ignorare, quid hoc verbum significet postea in * *Zeitschrift für Kirchenrecht.* (DOVE-FRIEDBERG.) Bd. 6. (1866) p. 150 sqq. hanc suspicionem de Mario Mercatore proposuit; et revera in ejus praefatione eadem verba recurrunt. Vide MIGNE P. L. T. 48 col. 753 (coll. c. col. 213 et not. Garnerii ad c); quoad textum ipsum a Garnerio nobis transmissum vide BARDENHEWER. *Patrologie.*[3] § 100 n. 1. qui eum minus fide dignum habet. Aliam conjecturam quoad verbum *Mercator* vide apud WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 8**. SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 284 et SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. V sine haesitatione sententiae Hinschii adhaerent.

[2] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXXX; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. V. not. 23; quamobrem non est insistendum variis significationibus horum verborum prolatis v. g. a PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 67. 68 et VERING. *Lehrb. d.... Kirchr.*[3] § 22. II. 1.

[3] Cfr. CARDIN. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 3; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXXX, qui ibid. paginis subsequentibus de variis conjecturis nonnullorum auctorum disserit. Item SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 284 sqq.

[4] Cfr. *Rubrum* sive *Inscriptio* Praefationis: „Incipit praefatio *sancti* Isidori libri hujus"; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 17; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 284; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95.* p. 206 et not. 11.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis*... *collect.* P. III. c. 6. n. 12; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXXIX—CCXXX; SECKEL. in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 284.

[6] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 277.

[7] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 547.

[8] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 20.

[9] Cfr. BALLERINI. *De antiquis*... *collect.* P. III. c. 6. n. 3.

87. Materia. Exstat collectio Ps-Isidori in duabus recensionibus, quarum una, quae brevior est, unice refert Decretales S. S. Pontificum easque tantum perducit usque ad S. Damasum († 384); altera, quae longior est, insuper addit concilia, et decretales perducit usque ad S. Gregorium M. († 604), additis decretis Synodi Romanae habitae sub S. Gregorio II a. 721[1]; haec recensio longior hodiedum intelligitur, cum de collectione Ps-Isidori agitur. Post Praefationem et duas epistulas spurias introductorias[2], sequitur Ordo de celebrando Concilio[3], dein Breviarium canonum decretorum et conciliorum una cum epist. spuria S. Hieronymi ad Damasum Papam[4]; post haec in Prima Parte referuntur 50 Canones Apostolorum (cfr. supra n. 70)[5], dein 60 Epistolae spuriae R. R. Pontificum a S. Clemente I († 101) usque ad S. Melchiadem (Miltiadem) incl. († 314), quae omnes sunt supposititiae et a Ps-Isidoro primum confictae aut ex aliis epistolis posteriorum S. S. Pontificum compositae[6], exceptis tantummodo duabus prioribus, quas Ps-Isidorus tamen adhuc interpolavit[7]. Sequitur dein Pars Secunda, cui prae-

---

[1] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. XVIII; longior recensio ab ipso reducitur ad classem A^1, brevior ad classem A^2; ambae tamen secundum ipsum contra WASSERSCHLEBEN ibid. cit. ex eodem exemplari derivatae sunt (ibid. p. XLII) et Saec. IX jam exortae. Porro classis A apud HINSCHIUS designat codicum familias antiquissimas. Vide ibid. p. XVIII, XLII et LII — LVII. Vide adhuc WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 10**; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. et not. 16. 17.

[2] Sunt nempe Epist. Aurelii, Carthag. Archiep. ad Damasum Papam et Rescriptum Damasi ad Aurelium. Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXVIII et 20, 21.

[3] Est Can. 4. Conc. Tolet. IV (a. 633). Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 22—24. Vide supra p. 115 not. 2.

[4] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 25—27, item p. LXXX. Fratres BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 18, qui nonnunquam pro eorum codice Vaticano 630, quem sequuntur (vide p. 127 not. 4) alium ordinem ponunt, hic etiam referunt epist. spuriam Damasi ad Hieronymum.

[5] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 27—30.

[6] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 30—247; item p. LXXXI—LXXXII; BALLERINI. *De antiquis .... collect.* P. III. c. 6. n. 18, ubi etiam dicitur: „Tum sequuntur epistolae priscorum pontificum a. S. Clemente ad Melchiadem usque, omnes supposititiae, et omnes a Pseudo-Isidoro confictae, duabus tantummodo S. Clementis exceptis, quas tamen ille interpolavit."

[7] Duae priores sunt epistolae ficticiae S. Clementis ad Jacobum, Fratrem Domini, a Graeco quodam primitus confictae et a Rufino Latine redditae. Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXI et p. 30 sqq.; BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 18; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 2*; BARDENHEWER. *Gesch. d. altkirchl. Lit.* I. p. 118. Inde citatio quaedam desumpta est in c. 1. D. XCIII

mittuntur quaedam documenta spuria[1] inter quae habetur celebris donatio sive constitutum Constantini[2]. Post haec referuntur canones

et c. 1. X *de postulatione praelatorum.* I. 5; cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 42. not 7.

[1] Documentum spurium *De primitiva ecclesia et synodo Nicaena* inscribitur etiam ut epistola Melchiadis secunda. Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXIII et p. 247—249; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. not. 19; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 8 n. 19.

[2] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXIII et p. 249 sqq.; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 19. En verba praecipua donationis: „ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romanae urbis et omnes Italiae seu occidentialium regionum provincias, loca et civitates . . . beatissimo Pontifici nostro Silvestro . . . contradentes." De donatione Constantini, quod ad nomen auctoris, tempus et locum originis attinet nondum sufficiens solutio data est. Cfr. KIRSCH in *The Catholic Encyclopedia.* T. V. p. 118—121. Documentum hoc jam ante tempora Ps.-Isidori vulgatum erat:; invenitur enim — ita HINSCHIUS l. c. p. LXXXIII — in collectione Gallicana codicis Colbertini 3368, quae antiquior est Ps-Isidoro; attamen, notant BALLERINI. l. c. coll. c. P. II. c. 8. n. 3, 4, ibid. esse documentum recentius additum. Prima vice, ut videtur, in manuscripto Parisiensi monasterii S. Dionysii ineunte Saec. IX et dein in collect. Ps-Isidoriana occurrit; post haec transiit in Decretum Gratiani (c. 14. D. XCVI) ut Palea (De Paleis vide infra Period. II. c. 1. sub num: *Paleae et Summaria*). Nonnulli censent Romae hoc documentum ortum fuisse ad augendam potestatem Romani Pontificis; ita v. g. JOH. IGN. DÖLLINGER. *Die Papst-Fabeln des Mittelalters.*[2] (München 1863) p. 61 sqq. ibid. p. 67; BÖHMER in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche.*[3]: XI. p. 6. 7; attamen multum inter se differunt in assignando tempore et occasione confectionis; cfr. BÖHMER l. c; KIRSCH. l. c. p. 119, 120. Sine ulla haesitatione etiam L. DUCHESNE. *Les premiers temps de l'Etat pontifical*[3]. (Paris. 1911) p. 182—184 quibusdam factionibus Romae originem hujus documenti adscribit. Praeferenda tamen videtur sententia, quam fortiter defendit GRAUERT in *Historisches Jahrbuch* (Münster 1880 sqq.) 1882—1884 passim, item JOS. HERGENRÖTHER. *Katholische Kirche und christlicher Staat* (Freiburg i. Br. 1873.) p. 359. (vide etiam HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 86), qui tenent documentum hoc ortum fuisse in regno Francorum Saec. IX ad legitimandum Imperium Occidentale contra querelas Byzantinorum et ad defendendum R. Pontificem, qui hoc imperium instituit. Vide etiam KIRSCH. l. c. p. 119 et p. 120 in medio. Objiciunt quidem (v. g. DÖLLINGER. l. c. p. 76). Epist. Hadriani I. (a. 778) ad Carolum Magnum: „Dum nimio provocati"; MANSI. *Conc. Coll.* T. 12. col. 819; MIGNE. P. L. T. 98. col. 304; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 2423 (Ed. 1. n. 1854), ubi i. a. dicit: „(Constantinus Romanae Ecclesiae) potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus est" quae verba videntur respicere documentum laudatum. Attamen, ut bene notant BÖHMER l. c. p. 2 in fine et p. 3 et HERGENRÖTHER l. c. verba, quae dein sequuntur huic suspicioni contradicere videntur; vide etiam KIRSCH. l. c. p. 119 in fine et p. 120; dein si respicerent donationem quandam Constantini, secundum SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 12 not. 36 Hadrianus I. videtur tantum remittere ad *narrationem traditam* de donationibus Constantini, non vero ad documentum ipsum supra citatum. Disertis verbis vero ad hoc provocat atque ad litteram hoc refert S. Leo IX (a. 1053), qui

et decreta 52 Conciliorum a Nicaeno I (a. 325) usque ad Hispalense II (a 619)[1] e collectione Hispana desumpta (cfr. supra p. 115)[2] paucis tantummodo a Ps-Isidoro confictе additis[3]. Tertia pars continet Decretales omnium R. R. Pontificum a S. Silvestro (314—335) usque ad S. Gregorium M. († 604), ne uno quidem praetermisso, una cum actis quorundam conciliorum et Epistolis Episcoporum ad R. R. Pontifices transmissis, additis in fine decretis Synodi Romanae habitae sub S. Gregorio II a. 721[4]. Ex hisce decretalibus maxima pars desumpta est ex secunda parte collectionis Hispanae (cfr. supra p. 115), plures aliae ex diversis fontibus,

---

fuit Franco-Germanus origine, in sua Epist. ad Michael. Caerularium, Patriarch. Constantinop.: „In terra pax"; MANSI. *Conc. Coll.* T. 19. col. 635 (vide ibid. col. 642); MIGNE. P. L. T. 143. col. 744; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 4302 (Ed. 1. n. 3286); cfr. etiam ejus epist. ad Imperatorem Constantinum Monomachum: „Quantas gratias"; MANSI. l. c. col. 667; MIGNE. l. c. col. 777; JAFFÉ. *Regesta.*[2] n. 4333 (Ed. 1. n. 3288). Innocentius III († 1216), mentionem facit donationis Constantini in suo Sermone in festo S. Silvestri; MIGNE. P. L. T. 217. col. 481; item Gregor. IX in sua Epist.: „Si memoriam beneficiorum" d. 23. Oct. 1236 ad Fridericum II; cfr. RAYNALDUS. *Annales ecclesiastici* ad a. 1236. n. 24; POTHAST. *Regesta.* n. 10255; pari modo ad eam alludit Clem. V (a. 1314) in c. un. *de jurejurando* II. 9. in Clem. Falsitatem hujus documenti, de qua nunc nemo dubitat, prima vice critice assignavit Cardinalis NICOLAUS CUSANUS (a. 1432—33) in suo opere * *De Concordantia Catholica* (Ed. Basil. 1565. I) L. III. c. 2; cfr. KIRSCH. l. c. p. 119; BÖHMER. l. c. p. 4.

[1] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* Conspectus rerum p. II et III; interposita sunt, saltem in multis codicibus, Praefatio Synodi Bracarensis I (a. 563; vide HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 1. p. 175 sqq.) et Capitula Martini Bracarensis (cfr. supra p. 114); vide: HINSCHIUS l. c. p. III et p. 374 et 426 sqq; inde SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. not. 21 loquitur de 54 actis synodalibus, SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 271 de 54 synodis. Concilia quaedam posteriora v. g. Tolet. IV (a. 633) et deinceps usque ad Tolet. XIII (a. 683) ponuntur ante ultima Concilia hic relata nempe ante Hispalense I (a. 590) et II (a. 619). Vide: HINSCHIUS. l. c. p. III.

[2] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXIII; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 19 in fine.

[3] Cfr. verba interpolata quoad incestum in Can. 61 Conc. Agathensis (Agde in Gallia a. 506) et quoad chorepiscopos in Can. 7. Conc. Hispal. II (a. 619); HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 336. not. 1 et p. 438 not. 1; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. not. 21. De Concilio Agathensi ejusque Canone 61, qui secundum BERARDI. *Gratiani canones*[2]. Pars I. p. 255 proprie adscribi debet Concilio Epaonensi. c. 30 (a. 517) cfr. adhuc c. 8. C. XXXV. q. 2 et 3 et ibid. c. 5; BERARDI. l. c. p. 244 et 336; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 1002 et 1040. De can. 7 Conc. Hispal. II cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. III. 1. p. 257.

[4] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXIX sqq; Conspectus rerum p. III—IV; BALLERINI. *De antiquis. . . collect.* P. III. c. 6. n. 20; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. in fine et not. 22.

praesertim ex collectione Dionysio-Hadriana et Quesnelliana (cfr. supra p. 111 et p. 117), 45 denique sive 46 ab ipso Ps-Isidoro confictae sunt aut ex aliis documentis compositae; insuper plura documenta aliunde jam apocrypha etiam in hanc partem collectionis inserta sunt[1].

88. Locus et tempus compositionis. Quamquam nonnulli conati sunt originem hujus collectionis quaerere Romae et quidem apud ipsos Romanos Pontifices nominatim apud Hadrianum I(772—795)[2], communis tamen sententia criticorum vel etiam acatholicorum[3] docet patriam harum falsificationum esse Galliam[4] et quidem secundum nonnullos provinciam Rhemensem[5], secundum alios

---

[1] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IV. in fine et not. 22. Accuratam analysin referunt: HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. LXXXIX sqq. et praesertim p. CVIII—CIX; BALLERINI. *De antiquis. . . collect.* P. III. c. 6. n. 20; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 271—272. De quibusdam additamentis collectioni Ps-Isidorianae aliquando adjectis vide v. g. BALLERINI. l. c. c. 6. n. 20 et 21 et c. 7 et passim MIGNE. P. L. T. 130. praecipue col. 1141 sqq.

[2] Ita v. g. * JOH. ANT. THEINER. *De Pseudo-Isidoriana . . . collectione* (Vratislaviae 1827) p. 71 sqq. (Advertendum tamen in hoc opere THEINER omnino transscribere CAROLUM BLASCUM. *De collectione canonum Isidori Mercatoris*; supra p. 127 not. 3 cit.); * K. F. EICHHORN. *Grundsätze des Kirchenrechts.* (1831) I. p. 158 sqq. et alibi passim; item antea jam FEBRONIUS. *De Statu Ecclesiae.* C. VIII. § 2. n. 1. De capitulis Angilramni, quae hic objiciuntur vide postea n. 93.

[3] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCIV. sqq. coll. c. p. CLXXXVI sqq.; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 276 sqq.; EMIL FRIEDBERG. *Lehrbuch des katholischen und evangelischen Kirchenrechts*[6]. (Leipzig 1909) p. 136.

[4] Cfr. praeter auctores in not. praec. cit: PIUS VI. in opere classico: *Responsio ..... super Nunciaturis Apostolicis* (Venet. 1790) cap. VIII. Sectio IV. n. 99; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 14; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VII et not. 30; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 119; MOURRET. *Hist. génér. de l'Église.* III. p. 428—429 et hodiedum passim canonistae et historici omnes. Neque objiciatur Ps-Isidorum plura hausisse ex Libro Pontificali; etenim hic liber, continens vitas R. R. Pont, a S. Petro usque ad Hadrianum II († 872), aut Stephan. V († 891), in priori parte h. e. usque ad S. Felicem III (IV) († 530) probabilius a Clerico quodam Romano compositus, dein a coetaneis subsequentium R. R. Pontificum ampliatus, etiam extra Italiam et in Gallia notus fuit. Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCIV; SCHERER. l. c. V. not. 24. De libro Pontificali vide DUCHESNE. *Le Liber Pontificalis* in specie I. p. XXXIII—XLVIII; BARDENHEWER, *Patrologie*[3]. § 123. n. 5. Optima editio est quam refert DUCHESNE l. c.; textum secundum BIANCHINI (Romae 1718 sqq.) vide apud MIGNE. P. L. T. 127. 128. Cfr. adhuc GRISAR in *Zeitschr. f. Kath. Theol.* XI (1887) p. 417 sqq.

[5] Ita v. g. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCVIII sqq.; vide ibid. p. CCXI; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 278—79; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VII. et not. 30; in hanc

dioecesin Cenomanensem (Le Mans) in provincia Turonensi[1]. Etenim prima vestigia harum Decretalium non occurrunt Romae[2], sed in

---

sententiam etiam inclinat FRIEDBERG. *Lehrb. d. kath. u. evangel. Kirchr.*[6] p. 136 not. 15. Et revera controversia de Chorepiscopis contra quos sese dirigit Ps-Isidorus (vide v. g. HINSCHIUS. l. c. p. 438 et not. 1) tunc temporis praecipue fervens erat in provincia Rhemensi.

[1] Ita prima vice post quasdam suspiciones aliorum fortiter tenuit * SIMSON. *Die Entstehung der Pseudo-IsidorischenFälschungen in Le Mans* (Leipzig 1886) et alibi passim; post eum * P. FOURNIER. *De l'origine des fausses décrétales.* (St. Dizier 1889) et passim in nonnullis periodicis, item in D'ALÉS. *Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique* (Paris 1909 sqq.) in v. *Décrétales* (*Fausses*) col. 907—908. Vide SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 277, 278, qui ibid. testatur etiam DUCHESNE et DÖLLINGER huic sententiae accessisse.

[2] Prima vice S. Nicolaus I ad eas respexisse videtur, forte jam a. 863, cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCIV et CCVII not. 2; coll. c. p. CLXXXVI—CCIII et *System d. kath. Kirchr.* III. p. 577 et not. 1; MANSI. *Conc. Coll.* T. 15. col. 294; JAFFÉ. *Regesta*[2]. n. 2721 (Ed. 1. n. 2052); (num prius ? vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII et not. ibid.), clarius autem in Epist. ad Episc. Galliae missa a. 865; MANSI. l. c. col. 694 sqq.; JAFFÉ. l. c. n. 2785 (Ed. 1. n. 2100). Ita saltem censet HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCV; nec rejicit VILLIEN in *Dict. de Théol. Cath.* IV. in v. *Décrétales* (*les Fausses*) col. 220; plures autem cit. apud SCHERER. l. c. not. 42 negant Nicolaum I eas adhibuisse; hic auctor adhuc jure animadvertit (l. c. p. 225) Nicolaum I nullibi falsas hasce Decretales diserte confirmasse. Pro tota hac disputatione de Nicol. I. in ordine ad Falsas Decretales vide adhuc WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* not. 13; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 120—121 et not. ibid. PIUS VI. *Responsio . . . super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 99 tantum dicit collectionem Pseudo-Isidorianam „S. Nicolao Pontifici prima vice exhibitam fuisse ab Hincmaro Episcopo Laudunensi earum controversiarum tempore, quae Ipsum inter et Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem exardebant." Negari quidem sec. criticos nequit Hadrianum II a. 871 in sua Epist. ad Episcopos synodi Duziacensis (Douzy) ex Ps-Isidoro citasse falsam Decretalem Papae Anteri (235—236); cfr. MIGNE. P. L. T. 122 col. 1312—1313; MANSI. l. c. col. 852; JAFFÉ. l. c. n. 2945 (Ed. 1. n. 2238) coll. c. MIGNE. P. L. T. 130. col. 145 et HINSCHIUS. l. c. p. 151; vide: HINSCHIUS. l. c. p. CCVI. not. 2; VILLIEN. l. c. col. 220; DE SMEDT. S. J. *Les fausses Décrétales . . . .* in *Etudes religieuses* (4 Serie. Tom. 6. Paris 1870) p. 77—101. De alia citatione, quae a. nonnullis, uti JAFFÉ l. c. in 1. Edit. n. 2212 et * MAASSEN. *Eine Rede des Papstes Hadrian* II. v. J. 869 (Wien 1872—73), item a SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3] XVI. p. 290 Hadriano adscribitur, communius vero a criticis ipsi abjudicatur, vide JAFFÉ. l. c. in 2 Edit. n. 2915; SCHERER. l. c. not. 42 et imprimis LAPÔTRE. S. J. *Hadrien II et les fausses Décrétales* in *Revue des questions historiques* (Paris) XXVII (1880) I. p. 377 sqq. Jure DE SMEDT l. c., VILLIEN. l. c. col. 220—221 et SECKEL. (acatholicus) l. c. p. 291 concludunt R. R. Pontifices diu haesitasse in recipiendis hisce Decretalibus easque existimationem quandam apud Curiam Romanam obtinuisse nonnisi sub S. Leone IX (1049—1054), qui, antea Episcopus Tullensis (Toul), Romam venerat ex ipsa illa regione, ubi hae decretales jam receptae erant. Cfr. hic etiam BLASIUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 3 in fine et 4.

Gallia, ubi forte jam ab a. 853[1] sed certo jam a. 857 allegantur in conventu apud Carisiacum (Quierzy)[2], dein saepius citantur saltem ab anno 859 ab Hincmaro, Archiepiscopo Rhemensi[3]. Accedit quod res, de quibus tractat Ps-Isidorus, genus dicendi, fontes recentiores quos adhibet (puta Conc. Meldense (Meaux), a. 845, Conc. Aquisgran. a 816 et 836, Conc. Parisiense a. 829 — vide hic not. 6 —) apprime denotant statum et conditionem Ecclesiae Gallicae in provinciis supramemoratis istius temporis[4]. Quae omnia argumento sunt, originem harum Decretalium esse quaerendam in Gallia[5] et quidem non ante medium Saec. IX, uti patet ex fontibus a Ps-Isidoro adhibitis aut saltem cognitis[6], nec vero

---

[1] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCI et CCVII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50 VIII initio et not. 36; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 et not. 11**.

[2] Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. 15. col. 125 sqq. et T. 18-bis. col. 87 sqq.; *Monum. Germ. hist.* Legum. Tom. I. p. 451 et 453; ibi enim citantur: Ps-Anacletus, Urbanus et Lucius; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII initio et not. 37; WALTER- GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 et not. 10; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCVII et not. 3 coll. c. p. CCI et not. 4.

[3] Cfr. ejus opus *de Praedestinatione Dei et libero arbitrio.* Cap. 24, ubi citat Decretalem Ps-Anacleti; MIGNE. P. L. T. 125. col. 212. Dicit HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCVII not. 4. librum *de Praedestinatione* scriptum esse a. 859; duo opera *de Praedestin.* scripit HINCMARUS, quorum alterum tantum refertur apud MIGNE. P. L. T. 125; cfr. ibid. col. 49—50. Vide etiam opus HINCMARI *de Divortio Lotharii.* Interrogatio IV, ubi citatur Ps-Evaristus; Interrog. IX, ubi cit. Ps-Fabianus; Interrog. X, ubi cit. Ps-Cornelius, Felix et Alexander (MIGNE. l. c. col. 649, 680—682); HINSCHIUS. l. c. not. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII. not. 37. BOTTEMANNE (postea Episc. Harlemensis) in *De Katholiek.* 77—78 (1880) passim adhuc alias citationes ex Hincmaro Rhemensi allegat praeter eas hic examinatas, v. g. MIGNE. P. L. T. 125. col. 1042, 1043, 1046, 1070, 1076, 1077, 1088, 1089, 1112; T. 126. col. 58, 80, 86, 137, 330—333, 355, 363, 364 et 422, quas criticus lector, si velit, ipse examinet.

[4] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCVII—CCVIII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VII et not. 30; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 276.

[5] Exinde PIUS VI. *Responsio ... super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 99 dicit: „Est toties jam ... demonstratum invictis rationum momentis, Collectionem hujusmodi, non Romae, sed in Ecclesiis Gallo-Germanis Saeculo IX natam ... fuisse ...“

[6] Cfr. Tabula fontium a Ps-Isidoro adhibitorum, quam refert HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CXI sqq.; ita v. g. inter fontes a Ps-Isidoro adhibitos aut saltem cognitos enumerantur Concil. Aquisgran. a. 816 et 836, Parisiense a. 829, Meldense (Meaux) 845; cfr. HINSCHIUS. l. c. p. CXXV—CXXVIII coll. c. p. CXCVII—CXCIX et CCVII; cfr. etiam SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 276; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. not. 31 et saltem quoad Conc. Parisiens. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 13. Inter hosce fontes merito sec. criticos etiam refertur Epist. Rhabani Mauri, Archiep. Moguntin, de

post medium Saec. IX, quia, uti hic jam nonui, a. 853 aut certo a. 857 jam allegantur.

89. Intentio auctoris. Quaenam fuerit intentio auctoris, non una est doctorum sententia[1]. Auctor ipse initio Praefationis dicit: „Compellor a multis tam episcopis quam reliquis servis Dei canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et de multis unum facere" ... (et paulo post) „quatenus ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta et sancti praesides paternis instituantur regulis, et obedientes ecclesiae ministri vel populi spiritualibus imbuantur exemplis et non malorum hominum pravitatibus decipiantur"[2]. Forte hic scopus tamquam finis principalis admitti potest[3]; attamen ex falsificationibus adductis et ex materia ipsa harum Decretalium supponi potest, auctorem alios quoque fines prae oculis habuisse[4]. Qui fines, si forma quadam generali proponi possunt, huc redire videntur, videlicet: restaurare disciplinam ecclesiasticam tunc temporis per politicas factiones in Gallia perturbatam, vindicare jura ecclesiae contra multiplices usurpatores et invasores et imprimis immunitatem clericorum a judicio laicali, in specie adhuc defendere Episcopos contra injustas accusationes et depositiones sive a parte principum saecularium, sive a parte Metropolitarum et Conciliorum Provincialium[5]: innumeris enim vicibus testatur Episcopos nonnisi

---

chorepiscopis, scripta circa a. 845 (cfr. MIGNE. P. L. T. 110. col. 1195 sqq.) quam epist. cfr. cum Decretali Ps-Johannis III in coll. Ps-Isidor. (MIGNE. P. L. T. 130. col. 1081 sqq.; HINSCHIUS. l. c. p. 715 sqq.). Vide hic HINSCHIUS. l. c. p. CCII—CCIII; SCHERER. l. c. not. 30; SECKEL, l. c. p. 275 in medio. Secundum Hinschius, qui tenet, Ps-Isidorum dependere a Capitularibus Benedicti Levitae (cfr. infra n. 92), quae capitularia sec. ipsum non ante a. 847 collecta sunt, hic annus tamquam terminus a quo assignari debet; ibid. p. CLXXXVI et CCI.

[1] „Tot opiniones circumferuntur, quot viri hac de re scripserunt." Ita HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXIII, loquens de consilio Ps-Isidori.

[2] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 17—18 coll. c. p. CCXVI; MIGNE. P. L. T. 130. col. 7—8.

[3] Ita HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXVI; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 circa finem; negat tamen SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VI et, licet mitius, SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 279.

[4] Cfr. partim WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 in fine; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 279 in medio.

[5] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXV sqq., praecipue p. CCXVII sqq., ubi hoc deinceps per partes exponitur et p. CCXXI etiam facta historica allegantur quoad episcopos tunc temporis depositos; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 279 sqq.; vide p. 283;

per R. Pontificem sede sua deponi posse[1]. Quamobrem exaltatio potestatis R. Pontificis, quam multum promovet atque extollit, non fuit directe ab auctore intenta, sed potius tamquam medium, quo independentiam Episcoporum a potestate Metropolitarum vindicaret et horum praerogativas diminueret[2]. Sententia plurium heterodoxorum, olim saltem contrarium asserentium, quasi unicus scopus falsificatoris fuisset, augere jura R. Pontificis[3], jam dudum fatentibus ipsis criticis inter acatholicos prorsus antiquata dici debet[4]. Exinde jure Pius VI in opere jam ad calcem citato[5] dicere potuit: „Caeterum Isidori consilium non ad amplificandam Sedis Apostolicae auctoritatem spectasse, sed ad sublevandos

---

item p. 284, ubi similia facta historica narrantur; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 in fine.

[1] Non minus quam 70 fere inter falsas Ps-Isidori Decretales hunc in finem solum a falso collectore confectae sunt. Ita WASSERSCHLEBEN cit. apud: HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCVII et not 2; VILLIEN in *Dict. de Théol. Cath.* IV. col. 215 in fine. Cfr. etiam HINSCHIUS. l. c. p. CCXXIII—CCXXIV et SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 279 in fine et sqq.

[2] Cfr. SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 279 in fine et p. 281—282; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VI; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 in fine.

[3] Ita praesertim Gallicani et Jansenistae v. g. VAN ESPEN. *Scripta omnia*.... Tom. III. *Commentarius in canones*.... Pars II. Dissert. I. De collectione Isidori..... Mercatoris. § 3. (In Edit. Lovan. 1753. p. 454) (in Edit. Colon. 1715. Tom. IV—V. Pars V. *Tractat. canonico-historicus.* Pars IV. Cap. 1. De collectione Isidori.... Mercatoris. § 3. p. 139) dicit: „quod Decretales hac collectione contentae ..... ad asserendam Sedis Apostolicae auctoritatem ... essent totae compositae." („ad sublevandam Sedis Apost. Majestatem" — ita in Edit. Colon, quae videtur magis esse compendium.); ipse VAN ESPEN tamen in eodem opere. Pars II. *Brevis Commentarius* in II. Part. Gratiani. Caus. 2. Q. 7 de hisce Decretalibus dicit „quae praecipue ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornatae apparent." (In Edit. Lovan. l. c. p. 563; in Edit. Colon. hunc locum non inveni); jure PIUS VI. *Responsio super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 99. not. 247 ad haec ultima verba a van Espen alibi prolata remittit. Cfr. etiam DE MARCA. *De concord. sacerd. et imper*, ubi v. g. Lib. III c. 5. n. 3 suspicatur finem auctoris aut interpolatoris fuisse restaurare auctoritatem Ecclesiae Romanae in Gallia; passim etiam FEBRONIUS. *De Statu Eccles.* Cap. III. § 9 et Cap. VIII. § 2, aliique ut THEINER, quos SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 282 una cum VAN ESPEN, DE MARCA et FEBRONIO allegat, quin indicet quo loco eorum effata inveniantur.

[4] Ita jure SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 282 item * RICHTER. *Kirchenrecht.* § 39 cit. apud WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 97 not. 27*.

[5] Vide ejus opus; *Responsio super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV n. 99. Cfr. hic etiam optime BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 7 sqq., ad quem PIUS VI. l. c. remittit.

Episcopos aut spoliatos, aut accusatos, ad stabiliendos Primates et ad eos Patriarchis exaequandos, ita perspicue Decretales ipsae praeseferunt, ut res argumentatione non egeat".

90. Detectio fraudis. Mirum est, fraudem Ps-Isidori tamdiu latuisse, quamvis in ipsa collectione indicia tam certa pro existentia hujus fraudis reperirentur. Etenim silentium absolutum totius antiquitatis de hisce primorum S. S. Pontificum Decretalibus, materia in ipsis contenta prorsus aliena a conditione veteris Ecclesiae (puta quoad jura Primatum et Archiepiscoporum), plures textus S. Scripturae secundum versionem S. Hieronymi ibidem allegati[1], notae consulares falsae epistolis Pontificum affixae, stylus barbarus plane differens a puritate linguae priorum saeculorum, haec et alia indicia facile fraudem significare potuerunt[2]. Attamen propter auctoritatem S. Isidori, cui, uti p. 128 vidimus, ex errore haec collectio adscribebatur et propter deficientiam sensus critici illis temporibus propriam[3], paulatim in Gallia et in aliis quoque regionibus divulgabatur maxime cum in collectionibus subsequentibus (cfr. infra Cap. 5. n. 94 sqq.) et in Decreto Gratiani recipiebatur[4], quin ullum dubium de ejus authenticitate per plura saecula motum fuerit[5]. Saeculo tamen XII quidam, uti PETRUS

---

[1] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CXLIII coll. c. p. CXVII.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 2 et 3; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 272; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII in fine.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 2; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII in fine; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 96.

[4] Cfr. BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 3; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* in fine; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VIII. in fine.

[5] Quidem in conventu habito in Gerstungen in Thuringia a. 1085, quando ab Episcopis fautoribus Henrici IV, Imperatoris excommunicati objiciebantur Decretales Ps-Isidori, Episcopi adhaerentes Gregorio VII una cum Ottone, Cardin. Ostiensi et Legato R. Pontificis (qui postea fuit Urban. II) reponebant: „quod illa Isidori dicta non de excellentioribus illis auctoritatibus sint ac proinde minus usitata et magis ignorata." Ita refert SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 291 (vide et p. 292); Cfr. HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 120 item PHILLIPS. *Kirchenrecht*, IV. p. 86. Verba citata a SECKEL paulo aliter referuntur apud MANSI. *Conc. Coll.* T. 20. col. 601—602, sed ibid. adscribuntur Conventui Perestadensi (Berchach ?) pariter in Thuringia, cum quo conventu nonnunquam confunditur colloquium habitum in Gerstungen. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* V. 1. p. 311—314. Vide etiam SCHANNAT-HARTZHEIM, S. J. *Concilia Germaniae* (Coloniae 1759 sqq.) T. III. p. 197 de conventu Perestadensi et p. 199 de colloquio habito in Gerstungen.

COMESTOR († 1178), Cancellarius Universitatis Parisiensis, et GODEFRIDUS VITERBIENSIS († circa 1190), Capellanus Imperatorum, dubitare coeperunt de quibusdam epistolis et documentis Ps-Isidori[1], pariter heterodoxi, uti MARSILIUS PATAVINUS († circa 1343)[2] et praesertim JOANNES WICLEFF († 1384), qui non tantum Decretales Ps-Isidori, sed perperam omnes in genere Decretales rejecit[3]. Primus vero Cardinalis NICOLAUS CUSANUS († 1464)[4] et

---

[1] Ita testantur v. g. VILLIEN in *Dict. de Théol. Cath.* IV. col. 221; MOURRET. *Hist. génér. de l'Eglise.* III. p. 427; BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 119 not. 1. Cfr. MIGNE. P. L. T. 198. col. 1708, ubi PETRUS COMESTOR in opere: *Historia scholastica.* In Actus Apostolorum. cap. 97 denegat authenticitatem Epist. Clementis ad Jacobum, Fratrem Domini; item MIGNE. l. c. col. 881, ubi GODEFRIDUS VITERBIENSIS in opere: *Pantheon.* Pars XVI initio, narrationem de lepra Constantini apocrypham esse putat (vide etiam ibid. col. 883—884 de donatione Constantini). Ajunt etiam multi canonistae v. g. SCHULTE. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 6. not. 8; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22. not. 15; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. II; VILLIEN. l. c. col. 221; VERMEERSCH-CREUSEN. *Epitome Jur. Can.* I. p. 9; STEPHANUM-TORNACENSEM, Abbatem S. Genovevae Parisiensis et postea Episc. Tornacensem († 1203) primum fuisse, qui dubitasset de authentia Decretalium Ps-Isidori; mihi tamen locus a praefatis auctoribus intentus, nempe Epist. CCLI, ad Papam (Coelestin. III) — vide MIGNE. P. L. T. 211. col. 516—518 — id nequaquam probare videbatur et postea reperi, SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292 idem sentire et bene probare, contra WASSERSCHLEBEN in *Realencycl.* Ed. 2. XII. p. 383 et FRIEDBERG ibid. alleg. hunc locum non respicere Decretales Ps-Isidori sed Compilationem primam Bernardi Papiensis (circa 1191; cfr. infra Period. II. cap. 2) aut aliam collectionem istius temporis. Nec SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 26. not. 12 post * MAASSEN (Beiträge. Wien 1857, 35, 2) ibid. cit. verba Steph. Tornac. in Epist. cit: „inextricabilis silva decretalium" bene intelligere videtur. Num citatio allegata a FRIEDBERG. *Lehrb. d. kath. u. evangel. Kirchr.*[6] § 37. not. 19, nempe: STEPHAN V. TOURNAI in *Notices et Extraits des manuscr. de la bibl. du roi* (Par. 18), 10, 2, 101 novum lumen afferat, reperire non potui.

[2] Ita in opere: * *Defensor pacis.* Lib. II. c. 28; cfr. BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5; FRIEDBERG. *Lehrb. d. kath. u. evangel. Kirchr.*[6] § 37 not. 19.

[3] Jure propterea damnatus in Conc. Constantiensi (1414—1418). Sess. VIII. Articuli (sive errores) Joannis Wicleff. n. 38. „Decretales epistolae sunt apocryphae et seducunt a fide Christi, et clerici sunt stulti, qui student eis." Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. 27. col. 634, 1209; vide ibid. col. 1215 sqq.; DENZIGER-BANNWART. *Enchiridion.*[11] n. 618 (antea n. 514); BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5.

[4] Cfr. ejus opus: * *De Concordantia Cathol.* L. III. c. 2; vide BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* L. III. c. 6. n. 2; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I, § 50. not. 44; FRIEDBERG. *Lehrb. d. kath. u. evangel. Kirchr.*[6] § 37 not. 19, qui ibid. ejus verba refert: „Sunt meo judicio illa de Constantino apocrypha, sicut fortassis etiam quaedam alia longa et magna scripta sanctis Clementi

cum eo JOANNES TORQUEMADA (DE TURRECREMATA) O. P, pariter Cardinalis († 1468)[1] et HENRICUS KALTEISEN O. P, Inquisitor et postea Archiepiscopus Drontheimensis († 1465)[2] apertius falsitatem Ps-Isidori saltem quoad Decretales primorum S. S. Pontificum indicarunt. Postquam dein a. 1523 typis excusa magisque divulgata esset collectio Ps-Isidoriana[3], critici perplures uti ERASMUS († 1536)[4] et GEORGIUS CASSANDER († 1566)[5], emendatores Gallici Decreti Gratiani, nempe DUMOULIN (MOLJNAEUS) et LE CONTE (CONTIUS)[6], dein Cardinalis BARONIUS († 1607)[7], potissimum

---

et Anacleto Papae attributa." Item in extenso ejus verba refert BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5. p. 42. not. 1.

[1] Cfr. ejus opus: *Summa de Eccles.* Lib. II. c. 1, ubi saltem rejicit Epist. Clementis ad Jacobum; vide adhue PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 89. et not. 3; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 96. not. 1; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292.

[2] Cfr. ejus * *Tractatus an Imperium sit unquam a Romanis ad Graecos translatum*, cit. apud: BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* c. 5, ubi etiam p. 42 not. 2 ejus verba referuntur, quae verba fere eadem sunt ac supra p. 138 not. 4. ex Nicol. Cusano allegata. BLASCUS. l. c. prioritatem attribuit Henrico Kalteisen. Vide adhuc PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 89. not. 2; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292.

[3] Textus prima vice typis excusus apparuit Parisiis a. 1523 in collectione Conciliorum JACOBI MERLIN; eam secundum editionem Coloniensem anni 1530 denuo recudit MIGNE. P. L. T. 130; cfr. supra p. 127 not. 4; BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 7. n. 1.

[4] Ita testantur plures, v. g. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 89; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292, item post CASSANDER, de quo statim in textu, BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5; hic autem ibid. in not. 3 p. 42, haec addit: „Erasmi judicium in ejus Operibus reperire non potui; vel igitur meam diligentiam effugit, vel, quod magis puto, in illis desideratur ..."

[5] Ita in ejus opere: * *Defensio insontis libelli de pii viri officio*, uti assignant BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5. c. not. 3, p. 42 et WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 96 not. 2, qui ibid. etiam ejus verba referunt.

[6] Quoad CHARLES DUMOULIN, qui fuit jurisconsultus Parisiensis, dein Calvinista et morti proximus Ecclesiae reconciliatus est († 1566) et ANTOINE LE CONTE, qui fuit in Academia Bituricensi juris canonici prof. († 1586) vide LAURIN. *Introd. in Corp. Jur. Can.* p. 61—62 et infra Period. II. cap. 1. in fine; item WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 96 not. 3. Correctores Romani vero Decreti Gratiani indolem apocryphum Collectionis Ps-Isidorianae non admiserunt, uti patet ex eorum Admonitione in fronte Decreti Gratiani in editione Romana apposita. Cfr. SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 292; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. not. 44. Quoad Correctores Romanos vide pariter infra Period. II. cap. 1. in fine.

[7] Cfr. ejus opus: *Annales eccles.* T. X. ad a. 865. n. 8. A multis v. g. WERNZ. *Jus. Decr.*[2] I. n. 216. II; HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 119. not. 1; VILLIEN in *Dict. de Théol. Cath.* IV. col. 221 citatur etiam B. BELLARMINUS; at in loco a praefatis

vero in Germania CENTURIATORES MAGDEBURGENSES[1] fraudem Ps-Isidori clare demonstrarunt. Infeliciter FRANCISCUS TORRES (TURRIANUS) S. J. a. 1572 contra Centuriatores Magdeburgenses conatus est genuinitatem Decretalium Ps-Isidori defendere[2], quare a BLONDELLO, ministro Calviniano, a. 1628 magna cum eruditione magnaque acerbitate refutatus est[3]. Exinde perpauci tantum inter Catholicos, uti BONAVENTURA MALVASIA. O. Min.[4], Cardinalis D'AGUIRRE[5] et, quod mirum est, ultimis adhuc temporibus EDUARDUS DUMONT[6] causam deperditam Ps-Isidori defendendam susceperunt. E contra alii catholici, uti fratres BALLERINI[7] et post

---

auctoribus intento: *De Controv.* T. I. Controv. III. De Summo Pontifice. L. II. c. 14 fere initio tantum dicit: „At quamvis aliquos errores in eas (intellige: epistolas) irrepsisse non negaverim nec indubitatas esse affirmare audeam, certe tamen antiquissimas esse, nihil dubito."

[1] Ita in eorum opere *Historia ecclesiastica . . . per studiosos ac pios aliquot viros in urbe Magdeburgica . . . congesta* (Basileae 1559 sqq.; denuo 1624) Centuria II. cap. 7, ubi tamen in fine testantur jam ante CXX annos, Monachum quendam cognomento Kaltheisen epistolas Pontificum a Ps-Isidoro relatas pro suppositititis habuisse. Cfr. dein Centuria III. c. 7; Centuria IV. c. 7; Centuria V. c. 7,

[2] Ita in ejus opere: *Adversus Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus Apostolorum et Epistolis Decretalibus Pontificum Apostolicorum Libri quinque* (Florentiae 1572, Coloniae 1573).

[3] Ita in ejus opere: * *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes.* (Genevae 1628). Opera omnia Blondelli in Indicem librorum prohibitorum relata sunt decreto 21 Jan. 1658 et saepius deinceps. Jure BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 5 contra Blondellum animadvertit, jam ante ipsum, teste ipso Blondello, Catholicos fraudem Ps-Isidori detegisse ideoque per ostium jam apertum Blondellum introiisse; Ecclesiam vero, ut jure jam observaverat TURRIANUS (l. c. in nota praeced. Initio Lib. 4.) decretalibus Ps-Isidori minime indigere.

[4] Cfr. ejus opus: * *Nuntius veritatis David Blondello missus.* (Romae 1635); PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 91; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 293.

[5] In opere: *Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniae et novi orbis epistolarumque decretalium celebriorum . . .* Tom. I. (Romae 1693—94); a pag 27 sqq. (Vide Dissert. IV. p. 69 spp.); cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 91. not. 10; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 293.

[6] In: *Revue des Questions historiques.* (Paris 1866 sqq.) I. (1866) p. 392 sqq.; II. (1867) l. p. 97 sqq; cfr. SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 293 qui ejus elucubrationem omni sensu critico carere dicit. Quidem hodie adhuc nonnunquam canones Isidoriani ut genuini citantur; ast-ita pronuntiat SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. not. 44— „meist außerhalb Deutschlands".

[7] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6; vide SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 293; WALTER-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

probationibus, quas theologi[1] et historici[2] afferunt ad probandum Primatum R. Pontificis, ejusque extensionem, sufficit hic remittere ad tot dicta et facta anteriora R. R. Pontificum, ex quibus clare elucet, eos jam ante Decretales Ps-Isidori supremam jurisdictionem suam exercuisse etiam quoad causas Episcoporum et synodos Provinciales, de quibus tam saepe tractat Ps-Isidorus[3].

Quodsi nunc quaeratur, num Decretales Ps-Isidori immutationes quasdam induxerint in disciplinam ecclesiasticam, cum distinctione est respondendum.

Ex una parte negari debet, constitutionem et disciplinam ecclesiasticam per hasce Decretales substantialiter esse immutatas aut permulta jura plane nova a Ps-Isidoro esse introducta[4].

---

[1] Cfr. S. ALPH. *Opera dogmatica.* (Vers. Latin. Walter.) I. p. 295—360 (Tr. III. De fidei veritate. Pars III. c. 7—10); p. 381 sqq. (Tr. IV. Adversus Febron.); *Theol. Mor.* I. n. 110 sqq.; Dissert. de Rom. Pontificis auctoritate; BILLOT. *De Eccles. Christi*[4]. Pars II. Q. 13 et 14. p. 517 sqq; VAN NOORT. *Tr. de Eccles. Christi*[3]. p. 47 sqq.; p. 64 sqq.; p. 183 sqq.

[2] Cfr. v. g. HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] passim v. g. I. p. 239; 293; 426 sqq.; 481—482; 731—733; ALBERS. *Enchiridion Hist. eccl. univ.* I. p. 94—100.

[3] Vide praeter testimonia in nota praecedenti relata: HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 120—121 cum notis ibid. adjectis; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98 passim cum notis ibid.; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22 II. n. 4, qui hic omnino sequitur WALTER-GERLACH. l. c. Vide adhuc: PIUS VI. *Responsio super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 100. Ceterum testatur hoc etiam ipse Protestans KARL v. HASE. *Kirchengeschichte*[12]. (Leipzig 1900) p. 185.

[4] Ita docuerunt v. g. VAN ESPEN. Dissert. I. *De collect. Isid. . . . Mercat.* § 3 (cfr. supra p. 136 not. 3 et p. 141 not. 5); FEBRONIUS. *De Statu Ecclesiae.* Cap. III. § 9 et Cap. VIII. § 2—9; JANUS (DOELLINGER). *Der Papst und das Concil.* (Leipzig 1869) p. 100 sqq. et plures obtrectatores Ecclesiae, quorum jam meminit PIUS VI. *Responsio super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 95. Dolendum sane, quod COUSTANT. *Epist. R. Pont.* I. Praef. p. CXXVII, partim saltem, idem senserit, ubi dicit: „Isidorus hac sua fraude quam sit perniciose de Ecclesia meritus, dici vix potest. Hinc debilitati penitus fractique Disciplinae nervi, perturbata Episcoporum jura, sublatae judiciorum leges, aut miserum saltem in modum afflictae. . . .“ Quos jure jam refellerunt fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 11; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX in fine et ipse Protestans SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 305 in fine —307; item diserte scriptores acatholici * SCHOENEMANN (ad G. L. BÖHMER. *Principia jur. can.*[7] § 122. not. b) et * H. LUDEN. *Allg. Geschichte* II. 2. Cap. 10. § 104 citati apud WALTER. l. c. not. 68, quorum alter, qui fuit scriptor historicus ibid. in *Geschichte des deutschen Volkes.* L. XII. Cap. 10. not 26 fervide se opponit contra sententiam contrariam tam leviter a * GIESELER. *Lehrbuch der Kirchengeschichte* (Bonn 1831) II. 1. p. 158—159 propositam. Vide etiam BOTTEMANNE in *De*

Etenim, uti apparet ex *Tabula fontium a Pseudo-Isidoro in decretalibus confingendis adhibitorum*, quam refert v. g. HINSCHIUS in opere saepius citato[1], proprie novae tantum erant superscriptiones et redactio harum Decretalium, sed quoad rem in ipsis contentam vix quidquam novi proponebant[2]. Saepius enim nihil aliud fecit falsarius, quam sententias genuinas nonnullorum Pontificum, qui Saeculis IV—VI floruerunt[3], necnon dicta item genuina S. S. Patrum et Conciliorum fere ad litteram transscripsit et attribuit iis Pontificibus, qui tribus prioribus Saeculis vixerunt[4]. Quin imo tantum abest, ut collectio Ps-Isidoriana Primatum R. Pontificis ne dicam instituerit, sed eum multum auxerit, ut potius ipsa fraus adhibita ostendat fidem Primatus jam antea existentem et ubique admissam. Non enim sperabat Ps-Isidorus finem suum obtinere se posse, nisi' auctoritatem R. Pontificis ficticiis suis documentis praeferret[5]; quin etiam conformitas Ps-Isidori cum disciplina vigente fuit una ex rationibus facilis divulgationis hujus collectionis[6]. Exinde merito Card. Gasparri in Praefatione Codicis, saepe citata[7] dicere potuit: „. . . subditiciis hisce pseudo-isidorianis decretalibus disciplinam Ecclesiae penitus immutatam fuisse, prout contendebant catholici nominis hostes, nemo est hodie qui asserat."

Ex altera parte vero, licet constitutio Ecclesiae non sit substantialiter mutata per collectionem Ps-Isidorianam, negari tamen non potest, disciplinam ecclesiasticam non levem corroborationem accepisse ex tot venerandis decretalibus, speciem remotissimae antiquitatis prae se ferentibus et per tot saecula, saltem a Saec. XI

Katholiek. 77—78 (1880) passim, ubi (v. g. p. 1 sqq.) similes calumnias scriptorum acatholicorum Neerlandicorum adducit et refellit.

[1] Ita in ejus opere: *Decret. Ps-Isidor.* p. CXI sqq.; vide etiam BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. § 2 et § 5; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 95* et praecipue n. 98.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 11; VERING. *Lehrb. d. Kirchr.*[3] § 22. II. 3. Agnoscit hoc etiam DE MARCA. *De Concord. sacerd. et imper.* Lib. III. c. 5. n. 1 in fine.

[3] V. g. S. Innocentius I, S. Zosimus, S. Bonifacius I, S. Coelestinus, S. Leo. M. S. Gregorius M.

[4] V. g. S. Evaristus, S. Telesphorus, S. Anteros, S. Fabianus, S. Marcellus etc.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 11;* P. FOURNIER. *Congrès scientifique international des catholiques.* 1888. T. II. p. 419; item in *Dict. Apolog.* i. v. *Décrétales* (*Fausses*). col. 905—906.

[6] Ita PIUS VI. *Responsio super Nunciat. Apost.* C. VIII. Sectio IV. n. 99; item PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 75.

[7] Cfr. *Praef.* Codicis. alin. 3.

usque ad Saec. XIV ubique, vel in ipsa Romana Curia receptis et a scriptoribus assidue allegatis[1].

Tuto etiam affirmare licet contra quosdam scriptores, qui influxum Ps-Isidori nimis extenuare volunt[2], quaedam jura reapse nova a Ps-Isidoro esse introducta. Ita v. g. quae scribit de necessitate obtinendi consensum papalem ad celebrandum Concilium qualecumque, de clericis per laicos non accusandis, ea revera erant jura noviter introducta[3]. Huc etiam a nonnullis reducitur illud Ps-Isidori, Episcopos *nullo casu* (h. e. sive a sententia Concilii Provincialis appellent, *sive non*) Sede sua deponi posse absque sententia definitiva R. Pontificis[4], et Episcopum, vi depositum et spoliatum, ante accusationem esse restituendum[5].

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. III. c. 6. n. 11; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. XIII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. VI.

[2] Ita v. g. DEVOTI. *Instit. canon.*[3] Proleg. Cap. 5. § 71 not 1. circa finem; item alii citati apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX. not. 54, quorum v. g. ALEXANDER A DANIELS cit. pariter apud: HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXXVIII not. 10 censebat Decretales Ps-Isidorianas ad instar formularum Marculfi (vide supra p. 126 not. 2) tantum inserviisse exercitationibus styli in scholis receptis.

[3] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 76—77; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. VI. Consentit etiam, saltem partim, WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98; vide ibid. n. V, X et in not. ibid.; non claret quomodo auctori HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXVII—CCXVIII. not. 2 ejus argumentatio insufficiens videatur.

[4] Ita SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX et not. 51; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. VIII; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 281 et 306; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* V. p. 281; huc etiam inclinat VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22. II. 4. Aliter tamen sentit post diligentem investigationem BOTTEMANNE in *de Katholiek.* 77 (1880) p. 281—309; item PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 77 sqq. et, ut videtur, WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. not. 145. et HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d.allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 121 post SCHRÖRS in *Historisches Jahrbuch.* XXV (1904) p. 1—33.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX et not. 50; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 280; aliter HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 121 et VILLIEN in *Dict. de Théol. Cath.* IV. col. 220. Quodsi igitur post diligentem investigationem a scriptoribus fide dignis peractam, pauca tantum jura remanent, quae a Ps-Isidoro noviter introducta esse dicenda sunt, non est cur SECKEL l. c. p. 293 scriptoribus catholicis improperet, quod minimum tantum admittant in agnoscendis mutationibus a Ps-Isidoro inductis. Ipse DE MARCA. *De Concord. sacerd. et imper.* L. III. c. 6. n. 1. fatetur: „His duobus capitibus“ (nempe causa Episcoporum est causa major et nulla synodus provincialis fiat absque consensu R. Pontificis) „praecipuum discrimen juris antiqui et novi continetur.“

Attamen haec ipsa aut nunquam ad litteram in praxin deducta sunt, aut ipsa rei natura, vel etiam similibus praescriptionibus civilibus aut canonibus antiquioribus commendabantur[1]. Ita v. g. laici quovis tempore ut clericorum accusatores admissi fuerunt, sicut et hodie admittuntur (cfr. Can. 1934 sqq. de accusatoria actione uni promotori justitiae reservata et de denuntiatione cuique fidelium permissa)[2]; ad celebrandum autem Concilium Provinciale ne hodie quidem consensus praevius R. Pontificis requiritur (cfr. Can. 283 coll. c. Can. 281 et 291)[3]. Dein conveniens erat, ut crescente numero dioecesium, depositio Episcoporum fieret de sese causa major, R. Pontifici reservata (cfr. hodie Can. 1557. § 1. n. 3)[4]. Tandem quod ad restitutionem spoliatorum attinet,

---

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 76 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX in fine; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98 passim, v. g. V, VIII, X, XI et not. ibid; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22. II. 4.

[2] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 76; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. X. not. 59; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 306; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. VI. not. 144.

[3] Neque ante Codicem talis consensus jure communi requirebatur. Cfr. not. Corrector. Roman. ad C. 4. D. XVII; WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 216. VI. not. 144 coll. c. n. 179 IV; WERNZ-VIDAL. *Jus Canonicum. . . . ad Codicis normam exactum.* Tom. II. Codicis Liber II. De personis (Romae 1923) n. 534 sqq.; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 306; HINSCHIUS. *System d. Kath. Kirchr.* III. p. 490 not. 1, p. 646. 652; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22. II. 4. De sententia, quam refert CASSIODORUS. *Historia tripartita.* L. IV. c. 9 (Migne. P. L. T. 69. col. 960): „cum utique regula ecclesiastica jubeat non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari" quae sententia minime jus commune referebat cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX. not. 52, ubi etiam similia effata SOCRATIS (*Historia ecclesiastica* L. II. c. 8; MIGNE. P. G. T. 67. col. 195—196, ad quem remittit Cassiodorus l. c.) et SOZOMENI (*Historia ecclesiastica* L. III. c. 10; MIGNE. P. G. T. 67. col. 1057—1058) afferuntur. Cfr. etiam PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 79 et not. 20; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. not. 25. et potissimum BLASCUS. *De collect. canon. Isidor. Mercat.* Cap. 9 § 2 initio, qui tota hac paragrapho bene de hac materia disserit.

[4] Cfr. BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Cap. 9. § 1; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 81 sqq.; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. VIII c. not. 39—40, ubi etiam not. 39 animadvertit, in Oriente, ubi nullus influxus Ps-Isidori habebatur, Episcopos etiam ex can. 26 Conc. Constant. IV (a. 869) immediate judicio Patriarcharum fuisse subjectos. Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. 16. col. 177—178; HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* IV. 1. p. 530, qui ibid. sensum canonis compendiose tantum refert. (Vide ibid. p. 520.). Vide adhuc VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 22. II. 4, qui jure ibid. animadvertit, plura adhuc postea R. Pontifici fuisse reservata, puta quoad ordinationem, translationem et renuntiationem Episcoporum, quae apud Ps-Isidorum minime R. Pontifici reservabantur.

principium hoc, a Jure civili Romano desumptum[1], videtur jam ante tempora Ps-Isidori ipso usu et praxi Ecclesiae in foro ecclesiastico fuisse receptum (cfr. supra n. 58)[2].

Articulus II

De aliis collectionibus spuriis Saeculi IX

92. Capitularia Benedicti Levitae[3]. Hoc nomine venit collectio quaedam in 3 Libros divisa cui postea 4 Appendices adjiciebantur, cujus auctor in praefatione dicit, se esse diaconum Ecclesiae Moguntinae et jussu Otgarii Archiepiscopi Moguntini († 847) Capitularia haec collegisse, quae diversis in locis et maxime in scrinio ejusdem Ecclesiae Moguntinae, a Riculfo, Archiepiscopo († 813) ibidem recondita invenerat[4]. Collectionem hanc pertendit

[1] Cfr. § 6. I. *De interdictis*. IV. 15 et clarius l. 3. Cod. Theodos. IX. 10; *Epitome Aegidii ad Leg. Rom. Visigoth. (cfr. supra p. 74 et not. 2) cit. apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. IX. not. 50; item PAULUS. *Sentent.* L. I. Tit. 7. n. 2 (ed. GNEIST. *Instit. et Regul. Jur. Rom. syntagma*[4]. p. 340; cfr. supra p. 77 not. 1). Alias citationes adhuc refert WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. not. 66.

[2] S. Symmachus Papa accusatus in Synodo, dicta Palmari (a. 501) (ita vocata a portico Basilic B. Petri Ap. quae appellatur ad Palmaria; cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* II. 2. p. 964) ante omnem discussionem, suam restitutionem exigebat. Cfr. HEFELE-LECLERCQ. l. c. p. 957 sqq.; MANSI. *Conc. Coll.* T. 8. col. 247 sqq. Hoc principium a Ps-Isidoro synodis subditiciis S. Symmachi adscriptum (cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 7 et 20; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CV. coll. c. p. 657 sqq. 663) pluries ab ipso repetitum fuit. Vide etiam WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 98. not. 66; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50 IX. not. 50. Principium hoc *de excepticne spolii* transiit dein in Decretum Gratiani (vide c. 1—3. C. II. q. 2; c. 1—3. C. III. q. 1; c. 2. 3. C. III. q. 2) postea in Libros Decretalium (cfr. c. 1 sqq. X. *de restitutione spoliatorum*. II. 13; c. 1. 2. *de restitutione spoliatorum*. II. 5. in VI) et exinde in novum Codicem Can. 1698—1699. Vide hic LEGA. ... *De judiciis eccl.* L. I. Vol. I. n. 219 sqq. Assumptum etiam fuit in Jure Civili, saltem Germanico; cfr. VERING. *Lehrb. d. ... Kirchr.*[3] § 22. II. 4. not. 12; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche.*[3] XVI. p. 306; DERNBURG. *Pandekten*[5]. § 189; * GOECKE. *De exceptione spolii*. (Berolini 1858); BRUNS. *Das Recht des Besitzes im Mittelalter und in der Gegenwart* (Tübingen 1848) § 16; p. 127 sqq.

[3] Optima editio textus horum capitularium prodiit cura Stephani Baluzii (Parisiis 1677 sqq.); invenitur apud MANSI. *Conc. Coll.* T. XVII—bis col. 801 sqq. ut continuatio collectionis Ansegisi (cfr. supra p. 74 not. 4); aliam editionem sec. codicem Gothanum opera D. Bethmann procuravit PERTZ. *Monum. Germ. hist.* Legum. T. II. 2. p. 17 et 39 sqq.; eam refert MIGNE. P. L. T. 97. col. 697 sqq.

[4] Cfr. Praefat. Benedicti apud MIGNE. P. L. T. 97 col. 700; MANSI. *Conc. Coll.* T. XVII—bis. col. 803—804; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d.*

esse continuationem Capitularium Ansegisi Abbatis (cfr. supra p. 74 not. 4)[1] et tractat in ea de omni fere materia disciplinae ecclesiasticae; ast, dum quarta pars horum capitularium genuina est[2], reliqua ab ipso auctore ex diversis fontibus, nempe S. Scriptura, operibus S. S. Patrum et collectionibus canonum et legum civilium nova forma redacta sunt, quaedam ab ipso primitus conficta[3]. Finis ejus in genere idem fuisse videtur ac Ps-Isidori, nempe tutari jura Ecclesiae contra varios abusus et injurias laicorum et difficiliores reddere causas judiciales contra clericos et Episcopos institutas[4]; simul forte finis secundarius ejus fuit, reformare unum alterumve institutum ecclesiasticum, ipsi ingratum, in specie institutum chorepiscoporum[5]. Tamquam patria hujus collectionis communiter assignatur Gallia Occidentalis, quia ibi primitus occurrit, nempe in comitiis Carisiacis (Quierzy) a. 857 in appendice ad hujus conventus capitula[6]; insuper ejus indoles huic regioni magis convenit[7].

Kirchr.[14] n. 99* not. 4**; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II. not. 6. Ajunt critici huic assertioni auctoris vix fidem esse habendam propter falsificationes, quas in collectione adjunxit; praesertim SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 300 cum pluribus aliis ibid. citatis, itemque SCHERER. l. c. not. 6. aperte huic assertioni auctoris fidem denegant.

[1] Cfr. Praefat. Benedicti apud MIGNE. P. L. T. 97. col. 699; MANSI. *Conc. Coll.* T. XVII—bis. col. 801—802. Exinde etiam considerabatur tamquam continuatio Ansegisi. Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 103 et pag. 146 not. 3.

[2] Cfr. SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 298; vide etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II.

[3] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CXLIII sqq.; CCXV sqq.; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 298 et partim SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II.

[4] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 301; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CCXV sqq.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II et VI; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* not. 5**; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI, p. 301; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLIV—CLV; CLXXXV sqq.; CCXV.

[6] Cfr. MANSI. *Conc. Coll.* T. 18—bis. col. 94, ubi citantur ex Bened. Levita L. I (Ansegisi V) n. 341 et L. II (VI) n. 97; *Monum. Germ. hist.* Legum. Tom. I. p. 453; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXXVI. not. 1; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II et not. 7; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 303.

[7] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXXV—CLXXXVI; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99*; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 300.

Porro inter annos 847 et 857 haec collectio composita esse debet, quia auctor in praefatione sua testatur, jam mortuum esse Otgarium Archiepiscopum, quod a. 847 accidit[1]; in comitiis autem Carisiacis a. 857 capitula haec una cum capitulis Ansegisi jam citantur[2]. Auctor ipse, qui secundum criticos certe non est diaconus Moguntinus, quem se esse fingit[3], videtur fuisse e schola Ps-Isidori[4], nisi forte cum hoc insigni falsificatore confundendus sit[5].

93. Capitula Angilramni[6]. Hoc nomine venit collectio, quae antea dicebatur ab Hadriano I (772—795) a. 785 tradita fuisse Angilramno, Episcopo Metensi (Metz) († 791), cum Romae commoraretur „quando pro sui negotii causa agebatur[7]", quamobrem

---

[1] Dicit enim in Praefatione sua: „Autcario demum, quem *tunc* Mogontia summum Pontificem tenuit, praecipiente pio." Cfr. MIGNE. P. L. T. 97. col. 699; MANSI. *Conc. Coll.* T. XVII—bis. col. 801—802; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXXIV—CLXXXVI; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* not. 4**; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 299.

[2] Cfr. pag. 147 not. 6.

[3] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. II. et not. 6; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 300.

[4] Ita BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 12. in fine et P. IV. c. 9. n. 3 aliique quos citat HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CXLIII; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 305; item DÖLLINGER et FOURNIER. ibid. cit.

[5] Ita SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. VII et not. 32; huc inclinat etiam WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* in fine et post eum VERING. *Lehrb. d. ... Kirchr.*[3] § 22 in fine; idem suspicatur BLONDELLUS citatus apud BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 12 in fine. Negat hoc HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CXLIII sqq. qui ibid. adstruit Ps-Isidorum collectione Benedicti Levitae ut fonte usum fuisse.

[6] Optima editio textus, critice secundum codices restituti, invenitur in opere saepe jam citato: PAUL. HINSCHIUS. *Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni.* (Lipsiae 1863) p. 757 sqq.; aliam editionem secundum Sirmond refert MANSI. *Conc. Coll.* T. 12. col. 903 sqq.

[7] Ita legitur in plerisque et nobilioribus codicibus; vide BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 8; item HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXIII sqq., CLXVI sqq. et p. 757; ibid. p. CLXIX—CLXX explicat haec verba „quando pro sui negotii causa agebatur", ubi „agebatur" idem est ac „accusabatur". Causa, propter quam Angilramnus, antea Abbas Senonensis, dein Episc. Metensis, postea simul Archicapellanus Caroli Magni et Archiepiscopus honorarius, dicitur Romam venisse, juxta quosdam videtur fuisse — ast immerito — accusatio contra ipsum instituta propter neglectum officium residentiae. Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50 III not. 10; idem in *Kirchenlexikon*[2]. I. col. 852; juxta THEINER et WASSERSCHLEBEN cit. apud HINSCHIUS l. c. p. CLXIX—CLXX petitio dispensationis ab officio residentiae; ast merito HINSCHIUS hoc l. c. rejicit; etenim ipse Carolus M. jam hanc veniam pro suo archicapellano

haec capitula etiam vocabantur *Capitula Hadriani*[1]; secundum recentiorem inscriptionem vero collectio haec ipsi Angilramno tamquam auctori tribuitur[2]. Constat 71 capitulis, quae tamen in diversis codicibus diversa ratione recensentur[3] et tractat fere de eodem objecto ac Ps-Isidorus, nempe de accusationibus contra clericos et Episcopos institutis[4]. Constat jam ex criticorum unanimi consensu, hanc collectionem propter similes falsificationes ac quae apud Ps-Isidorum occurrunt, neque Hadriano I[5] neque Angil-

a R. Pontif. impetraverat, uti patet ex c. 53 Synodi Francofordiensis a. 794 (MANSI. *Conc. Coll.* T. 17—bis col. 270); cfr. etiam HINSCHIUS. l. c. p. CLXIX; idem in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. I. p. 524. Falso tamen hic auctor ibid. dicit tunc temporis R. Pont. non fuisse competentem pertractandi accusationes contra Episcopos institutas. Vide e contra quae supra vidimus p. 142. not. 3 et quae ipse HINSCHIUS testatur in *System d. Kath. Kirchr.* IV. p. 787—788 et partim p. 838—839, dein V. p. 281 sqq.; p. 410—411. Huc etiam refer HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] I. p. 606 sqq.; et verba S. Gelasii P. in sua Epist. ad Episc. Dardaniae: „Non reticemus autem quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum, sedes beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus." (MIGNE. P.L.T. 56 col. 66; vide suprap. 51 not. 6).

[1] Ita apud MANSI. *Conc. Coll.* T. 12 col. 903, item passim in Decreto Gratiani v. g. c. 4. C. IV. q. 6; c. 6. C. VI. q. 1 et c. 11. C. XXV. q. 1; alias citationes ex decreto Gratiani refert HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXVI. not. 5. Vide BERARDI. *Gratiani canones.*[2] P. I. p. 350 sqq.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 8; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXVI et p. CLXVIII sqq.

[3] Ita in critica editione textus, quam refert HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. 757 sqq. numerantur 71 Capitula; vide etiam ibid. p. CLXVII; editio, quam refert MANSI. *Conc. Coll.* T. 12. col. 903 sqq. 80 numerat capitula; vide quae HINSCHIUS l. c. de hac numeratione dicit.

[4] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXX; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 295; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* II; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. III.

[5] Cfr. BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Diatriba in fine p. 221; BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 8; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* II, qui omnes plura argumenta afferunt, etiam interna (v. g. appellatio ad Sedem Constantinop. in c. 5 (6), poena amputationis et poena capitis contra spiritum Ecclesiae in c. 44 (49), ex quibus patet ea capitula Hadriano I adscribi non posse. Quamobrem sententia, quam suo tempore defendebat * EICHHORN. *Grundsätze des Kirchenrechts.* I. p. 156 sqq., quasi haec capitula Romae essent excerpta ex Romana Ps-Isidori collectione (cfr. supra p. 132 not. 2, quae collectio tunc temporis nondum existebat!) jam dudum fatentibus ipsis heterodoxis, uti SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 295 et HINSCHIUS ibid. I. p. 524 (cfr. etiam idem in *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXIX — CLXX) ab omnibus viris doctis est derelicta. Vide etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. III. not. 14.

ramno adscribendam esse[1], sed ex eadem regione et circa idem tempus originem traxisse ac ceteras collectiones spurias Saec. IX, nempe in Gallia Occidentali et probabilius in provincia Rhemensi versus medium Saec. IX[2]. Etenim indoles hujus collectionis magis convenit cum conditione praefatae regionis et insuper ibi prima vice occurrit circa 870 in disputatione orta inter Hincmarum Episc. Laudunensem (Laon) et ejus avunculum Hincmarum Archiep. Rhemensem, ubi hic ejus spuriam indolem agnovisse videtur[3]. Auctor incertus mansit, quidam autem putant Ps-Isidorum etiam hujus collectionis auctorem exstitisse[4]; alii vero tenent, capitula haec forte ab alio auctore esse composita et tamquam fontem inserviisse non tantum Ps-Isidoro sed etiam Bened. Levitae[5]. Quidquid est, de indole spuria etiam hujus collectionis, quae vulgo occurrit tamquam appendix collectionis Ps-Isidorianae, nemo est, qui hodiedum dubitet[6].

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 8 contra STEPHANUM BALUZIUM ibid. cit; item HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXVII sqq. contra WASSERSCHLEBEN et BALUZIUM ibid. cit; pari modo sentiunt SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 295 et SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. III.

[2] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXX; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 296; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. III et not. 15.

[3] Cfr. ejus *Opusculum LV Capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem.* Cap. 24; MIGNE. P. L. T. 126 col. 377 in fine sqq.; ex alia parte cfr. HINCMAR (LAUDUNEN) *Collectio altera ... Hincmaro Rhemensi ... missa,* passim; MIGNE. P. L. T. 124. col. 1006, 1014, 1020. Vide etiam: HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXVII not. 3; BLASCUS. *De collect. canon. Isid. Mercat.* Diatriba in fine p. 221 sqq.; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50. III. not. 15; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 105; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 296.

[4] Ita WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* II in fine; HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXXX, qui ibid. dicit: „Auctorem eorum (scil. capitulorum) ipsum Pseudo-Isidorum fuisse affirmaverim, quamquam id aperte probare non possum"; vide etiam ibid. p. CLXXXII in fine; porro censet adhuc, Benedictum Levitam tamquam fontem adhibitum fuisse ét in conficiendis capitulis Angilramni ét in consuendis falsis decretalibus, dein capitula Angilramni iterum tamquam fontem inserviisse Ps-Isidoro; vide ibid. p. CLXX sqq., CLXXX. E contra fratres BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. III. c. 6. n. 8 et n. 20 in fine, qui etiam capitula Angilramni Ps-Isidoro tamquam auctori attribuunt, censent haec capitula magis tamquam compendium ab ipso Ps-Isidoro ex anterioribus suis documentis esse redacta. Cfr. adhuc HINSCHIUS. l. c. p. CLXVIII.

[5] Ita SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 295, 296? et 305. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 50 III et not. 13 censet plura capitula Angilramni ex collectione Benedicti Levitae esse desumpta; idem in *Kirchenlexikon*[2]. I. col. 852.

[6] Cfr. HINSCHIUS. *Decret. Ps-Isidor.* p. CLXVII sqq.; SECKEL in *Realencycl. f. protest. Theol. u. Kirche*[3]. XVI. p. 295; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 99* II.

Caput V

De Collectionibus inde a Ps-Isidoro usque ad Gratianum[1]

94. Praenotanda. Saeculo IX et deinceps plura celebrata sunt Concilia, partim mere ecclesiastica et partim mixta, quorum canones colligebantur[2], plura quoque prodierunt *Capitula* sive Instructiones Episcoporum, quibus sive in synodis, sive extra eas clericis jus vigens proponebatur[3]; quamobrem a viris doctis novae compilationes canonum adornari coeperunt, quarum praecipuas hic referemus. Sunt potissimum collectiones *systematicae*, etsi minus criticae et minus perfectae[4].

---

[1] Cfr. hic praeter auctores supra p. 101 not. 1. assignatos: * AUG. THEINER. *Disquisitiones criticae in praecipuas canonum et decretalium collectiones* . . . (Romae 1836). Idem: *Über Ivo's vermeintliches Decret* (Mainz 1832); (valor criticus tamen horum operum propter negligentiam auctoris a FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXXI minus aestimatur); * F. WASSERSCHLEBEN. *Beiträge zur Geschichte der vorgratianischen Kirchenrechtsquellen.* (Leipzig 1839); * AEMIL. RICHTER. *Beiträge zur Kenntnis der Quellen des kanonischen Rechts.* (Leipzig 1834); FRIEDBERG. l. c. I. Prolegomena. col. XLII—LXXV; * PAUL. FOURNIER. *De l'étude des collectiones canoniques du IX^e au XII^e Siècle*; * Idem. *Les collections canoniques romaines de l'époque de Grégoire VII* (Paris 1918) et passim in variis elucubrationibus; VILLIEN in *Le Canoniste contemporain.* T. XLIII. (1920) p. 24 sqq. Alios auctores vide adhuc apud SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[3] § 40.

[2] Cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* III. 2 et IV. 1 et 2 passim; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 107—108; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 51. I. et not. ibid.

[3] Cfr.: * *De Capitularibus Diatribe auctore erudito Saec. XVIII* apud MAI. *Scriptorum veterum nova Collectio.* VI (Rom. 1832) App. 146 sqq., in specie p. 151; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 9. n. 6 et 7; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 108—110; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 51. I et not. ibid. Inter hos Episcopos praecipue numerantur Theodulphus. Ep. Aurelianensis († 821); cfr. MIGNE. P. L. T. 105. col. 191 sqq.; MANSI. *Conc. Coll.* T. 13. col. 993 sqq.; Hatto, sive Ahyto, Ep. Basileensis († 836); cfr. MIGNE. P. L. T. 105. col. 763 sqq.; MANSI. l. c. T. 14. col. 393 sqq.; Hincmarus, Archiep. Rhemensis († circa 882); cfr. MIGNE. P. L. T. 125. col. 773 sqq.; T. 126. col. 104—110; MANSI. l. c. T. 15. col. 475 sqq., aliique, quos referunt SCHERER. l. c. et PHILLIPS. l. c.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 10—18; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* qui ibid. 37 collectiones hujus aetatis describit, partim nondum impressas. Plusquam 50 hujus aetatis collectiones numerantur, ait CHELODI. *Jus de Personis.* n. 46; earum major pars nondum typis impressa est et de die in diem novae adhuc deteguntur: vide SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[3] § 40 initio; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. I; CARDIN. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 4.

Articulus I

De Collectionibus Italiae

95. Collectio Anselmo dedicata[1]. Collectio haec ab auctore quodam ignoto, aut auctoribus ignotis[2] versus finem Saec. IX in Italia Superiore censetur esse compilata. Anselmus hic, cui dedicatur, jure merito a criticis[3] dicitur esse Anselmus II, Archiepiscopus Mediolanensis a. 883—897. Eminet haec collectio copia materiae, ordine systematico et majori divulgatione; plura tamen desumpsit ex falsis Decretalibus Ps-Isidori[4]. Dividitur in 12 Libros, et canones juris Romani, quos refert, haurit ex alia collectione ejusdem Saec. IX, quae vocatur *Lex Romana canonice compta*, eo quod Jus Romanum ad usum ecclesiasticum accommodet[5].

96. Collectiones classis Gregorianae[6]. Hoc nomine vocari possunt plures collectiones tempore S. Gregorii VII (1073—1085) aut paulo post, sub influxu ejus pontificatus adornatae, quae omnes primario agunt de Primatu R. Pontificis deque juribus Ecclesiae Romanae, de privilegiis clericorum et de reformatione cleri et populi[7]. Sunt autem praecipue:

---

[1] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 10, ubi haec collectio, quae typis nondum edita est, describitur; THEINER. *Über Ivo's vermeintl. Decret.* p. 10—14; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 119—121; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. II; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. Prolegom. col. XLII.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 10. n. 4.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 10. n. 8; THEINER. *Über Ivo's vermeintl. Decret.* p. 10; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. II not. 4.

[4] Cfr. THEINER. *Über Ivo's vermeintl. Dekret.* p. 11; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 120.

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. II et not. 5 junct. c. § 45. III et not. 23; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 3; VERING. *Lehrb. ... Kirchr.*[3] § 25. n. 1 et 2. Quod attinet ad collectionem: *Lex Romana canonice compta* vide adhuc MAASSEN qui hanc collectionem detexit eamque descripsit in: * *Über eine lex Romana, canonice compta.* Sitzungsberichte der phil.-hist. Cl. d. K. Akademie (Wien 1860) 35, 2, p. 73 sqq.; item in *Gesch. d. Quell. u. d. Lit. d. can. R.* p. 888 sqq.; * M. CONRAT (COHN) *Lex Romana canonice compta, Römisches Recht im frühmittelalterlichen Italien* (Amsterdam 1904).

[6] Cfr. CARDIN. GASPARRI in *Praef.* Codicis alin. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 40. n. 3; CHELODI. *Jus de Personis.* n. 46 ad 1; VILLIEN in *Canoniste contemporain.* T. XLIII (1920) p. 25 sqq.

[7] Cfr. CARDIN. GASPARRI in *Praef.* Codicis alin. 4; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 35. V. junct. c. § 12 V.

1. *Collectio S. Anselmi Junioris.* Ampla haec collectio, quae partim ex collectione praecedenti (scil. Anselmo dedicata, supra n. 95), partim ex Decreto Burchardi (vide infra n. 98) aliisque fontibus, praesertim ex archivo Romano est desumpta, auctorem habuit S. Anselmum Episc. Lucanum († circa 1086) et dividitur in 13 Libros[1]. Nostris diebus typis edita est[2], id quod pluribus, qui ultimis hisce annis de collectionibus hujus periodi scripserunt, non innotuit; inserviit autem tamquam exemplar aliis collectionibus et transiit fere tota in Decretum Gratiani[3].

2. *Collectio Cardinalis Deusdedit*[4]. Praeclara haec collectio prodiit circa a. 1086—1087 et Victori III (1086—1087) successori

[1] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 128; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 17; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. n. 1. De ejus vita vide SCHERER in *Kirchenlexikon*[2]. I. col. 899—900; vocatur *Junior*, quia ejus avunculus, qui fuit postea Alexander II († 1073) pariter vocabatur *Anselmus* et pariter erat Episc. Lucanus (Lucca); cfr. *Kirchenlexikon*[2]. l. c. Vide adhuc * FOURNIER .*Les collections canoniques romaines de l'époque de Grégoire VII*; VILLIEN in *Le Canoniste contemporain.* T. 43. (1920) p. 29 sqq.

[2] FRIEDERICUS THANER. *Anselmi Episc. Lucensis Collectio Canonum.* (Oeniponte 1906—1915). Est editio incompleta (desunt Libri XII et XIII) et propter provectiorem aetatem ejus, qui eam ediderat, eamque morte correptus perficere non potuit, minus accurata. Vide HILLING in *Archiv. f. Kath. Kirchr.* Bd. 96 (1916) p. 322—324. Antea complures jam in votis habuerunt hanc collectionem edere, uti in suo monito testatur (Auctor anonymus) ANGELUS MAI. *Spicilegium Romanum* (Romae. 1839, sqq.) Tom. VI. p. 312 sqq., qui hane collectionem multum laudat; ibidem tantum p. 316 sqq. rubricae sive tituli plurimorum saltem capitulorem edita sunt; post Mai denuo ea impresserat MIGNE. P. L. T. 149 col. 485 sqq. Ibid. etiam col .445 sqq. alia opera S. Anselmi Lucensis (intellige: Lucani) inveninutur.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 13; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. n. 1; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. XLIX sqq.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 14; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LIII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. not. 2 et not. 23 et 24; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 23; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 129—131, qui suo tempore querebatur hanc collectionem nondum fuisse editam; hodie prima vice edita est a * PIO MARTINUCCI, praefecto altero Bibl. Vatic. sub titulo: *Deusdedit Presbyteri Cardinalis tituli Apostolorum in Eudoxia collectio canonum e codice Vaticano* (Venetiis 1869). FRIEDBERG. vero l. c. hunc auctorem paulisper negligentiae accusat. Ceterum unicum manuscriptum, in quo haec collectio integre saltem asservatur, nempe Cod. Vatic. 3833, ex testimonio criticorum, non est exemplar accuratum. Vide auctores cit. apud LAEMMER. *Instit. d. Kath. Kirchr.*[2] p. 35 not. 2; item HIRSCH in *Archiv. f. Kath. Kirchr.* Bd. 85. (1905) p. 795 sqq. Meliorem editionem procuravit VICTOR WOLF v. GLANVEL. *Die Kanonessammlung des Kardinals Deusdedit.* I. Die Kanonessammlung selbst (Paderborn 1905). Secunda pars, quae crisin institueret in editionem cit., propter mortem inopinatam editoris non apparuit. Vide HIRSCH. l. c.

S. Gregorii VII est dedicata. Dividitur in 4 Libros[1] et tamquam fontes praesertim adhibuit collectionem *priscam* et *Dionysianam* (cfr. supra n. 76) Ps-Isidorum (cfr. supra n. 86 sqq.), archivum Romanum et in specie registrum Gregorii VII[2].

3. *Collectio Bonizonis*[3]. Hic Bonizo, Episc. Sutrinus et postea Placentinus, post a. 1089 collectionem quandam canonum in 10 Libros divisam publicavit, cujus collectionis nonnisi pars exigua hucusque typis est impressa[4]; hujus collectionis praecipue Lib. IV, tractans de excellentia Romanae Ecclesiae magni momenti esse perhibetur ad cognoscendam historiam illius temporis[5].

4. *Collectio Cardinalis Gregorii.* Collectio haec, quae ab ipso ejus auctore *Polycarpus* (*πολύκαρπος*, multos fructus ferens) est appellata[6] prodiit ineunte Saec. XII (inter a. 1101 et 1118) et Didaco, Episc. Compostellano est dedicata[7].

---

[1] Divisionem vide in epistola dedicativa hujus operis apud BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 14 n. 3; item apud PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 130 not. 37.

[2] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 129—130; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 23; BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 14. n. 3 secunda vice, saltem apud MIGNE. P. L. T. 56. col. 334, ubi n. 3 bis ponitur.

[3] De ejus vita cfr. DALLER in *Kirchenlexikon*[2]. II. col. 1087—1089; MARTENS in *Theol. Quartal.* (Tübingen) 1883. p. 457 sqq., in specie p. 459—460. Multas persecutiones a parte schismaticorum sustinuit, attamen non apparet, quod mortem violentam ab ipsis pertulerit, uti post Bertholdum Constantiensem referunt PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 131 et HERGENRÖTHER-KIRSCH. *Hdb. d. allgemein. Kirchengesch.*[5] II. p. 388. Optime hic BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 15. n. 1; vide etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. not. 26.

[4] Partem hanc typis impressam vide apud MAI. *Patrum Nova Bibliotheca.* (Romae. 1852 sqq.) VII. Pars III. p. 1 sqq. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 15. n. 3 tantum praefationes singulorum librorum recudit, excepta praefatione libri primi, quae deperiit. Num adhuc aliae partes typis editae sint, uti innuit ROSZHIRT cit.apud WALTER-GERLACH *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 24 not. 38 mihi, uti neque WALTER-GERLACH, non claret. Alia opera Bonizonis vide apud MIGNE. P. L. T. 150. col. 781 sqq.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 15. n. 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 132; VERING. *Lehrb. d. ... Kirchr.*[3] § 25. n. 12.

[6] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 17. n. 1; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 35; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. n. 5.

[7] Inscriptionem et epistolam nuncupatoriam vide apud BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 17. n. 2 et 3. Tempus compositionis non accurate a BALLERINI. l. c. n. 2 et PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 136 indicatur; melius (nempe ante a. 1118) assignatur ab HERM. HÜFFER. *Beiträge zur Geschichte der Quellen des Kirchenrechts und des Römischen Rechts im Mittelalter.* (Münster 1862) p. 74 sqq.; cfr. ibid. p. 83. Vide etiam FRIEDBERG.

Dividitur in 8 Libros et ordinem systematicum satis perfectum exhibet[1].

Ad collectiones in Italia adornatas reducitur etiam collectio, quae dicitur *Brittanica*, ita vocata a codice, qui eam continet in Museo Brittanico conservato. Saeculo XII adornata est ex amplissimis Regestis et archivo papali et valorem suum inde potissimum habet, quod nobis referat non minus quam 233 novas Decretales octo R. R. Pontificum a S. Gelasio I († 496) usque ad Urbanum II († 1099)[2].

Articulus II

De Collectionibus Germaniae

97. Collectio Reginonis. Collectio haec jussu Rathbodi, Episc. Trevirensis circa a. 906 compilata est a Reginone († 915), quondam Abbate monasterii Prumiensis[3] in dioecesi Trevirensi, in usum potissimum visitationis et processus judicialis Episcopi[4]. Inscribitur haec collectio: *Libellus* (aut *Libri duo*) *de ecclesiasticis disciplinis et religione christiana*[5], aut, uti in aliis editionibus legitur: „*Libri*

Corp. Jur. Can. I. col. LXVIII; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. n. 5 et not. 27. Cardinalis hic Gregorius videtur fuisse Cardinalis titulo S. Chrysogoni; vide HÜFFER. l. c.; SCHERER. l. c.; PHILLIPS. l. c. not. 59; FRIEDBERG. l. c.

[1] Vide hunc ordinem apud BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 17. n. 4. Rubricae capitulorum editae sunt a * THEINER. *Disquisitiones criticae.* p. 342 sqq.; reliquae partes hujus collectionis, in quantum vidi, nondum typis impressae sunt. HÜFFER cit. in not. praec. ejus editionem quidem promiserat l. c. p. 81 (cfr. etiam SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. V. not. 27) at FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXVIII tantum uti potuit apographo ab HÜFFER facto codicis Colbertini N. 4047, qui in Bibliotheca nationali Parisina asservatur.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VI et not. 29; VERING. *Lchrb. d. Kirchr.*[3] . . . . § 25 n. 14.

[3] Anno 899 regimen abbatiae suae dimisit et non ante a. 906 collectionem suam composuit, quia ibid. jam refert duas epistolas a. 906 signatas. Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 11. n. 1.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 11. n. 2 et auctores passim. Patet hoc etiam ex ipsa materia libri (vide v. g. initium libri primi et secundi) necnon ex Praefatione, quae tantum invenitur in manuscripto quodam Trevirensi et prima vice edita est ab. * F. G. A. WASSERSCHLEBEN in editione critica: *Reginonis Abbatis Prumiensis libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis.* (Lipsiae 1840). non in opere: *Die irischen Kanonensammlungen*, uti censet PRÜMMER. *Manuale Jur. eccl.*[2] Q. 40. n. 2 (vide supra p. 119 not. 1). Vide PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 122 not. 10.

[5] Ita in editione Baluzii apud MIGNE. P. L. T. 132. col. 175, 185 sqq.; pariter apud SCHANNAT-HARTZHEIM. *Concilia Germaniae.* II. p. 438 sqq.

duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis[1]". Dividitur in duas partes, quarum prior agit de personis et de rebus ecclesiasticis, altera magis de laicis[2]. Propter casus practicos, quos pertractat, mirum in modum mores illius aetatis nobis manifestat. Tamquam fontes praesertim adhibuit libros poenitentiales, capitularia regum Francorum, ordinationes juris Germanici supra p. 74 et not. 4 commemorati una cum collectionibus *Dionysiana*, *Hadriana* et *Hispana* (cfr. supra n. 76. et 78), ex quibus tamen non directe, sed mediantibus aliis collectionibus canones suos hausit eisque canones recentiorum conciliorum adjunxit[3]. Nonnullae appendices ipsi apponebantur et tamquam exemplar inserviit pluribus aliis collectionibus subsequentibus[4].

98. Decretum Burchardi. Burchardus, Episc. Wormatiensis († 1025) hortante Brunicone, praeposito Ecclesiae Cathedralis, una cum quibusdam collaboratoribus, ut Olberto, monacho et Walterio, Episc. Spirensi[5], intra annos 1012—1022[6] amplam collectionem canonum edidit in usum potissimum cleri curati et ordinandorum[7]. Dividitur in 20 Libros et tractat ibi de variis

[1] Ita in editione accuratiori, quam procuravit WASSERSCHLEBEN supra p. 155 not. 4 cit. Vide SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III. not. 9; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 5. not. 12.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 11. n. 2; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 123; MIGNE. P. L. T. 132 col. 187 sqq.; col. 279 sqq.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 11. n. 3; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 122; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III. et not. 9; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 5.

[4] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III et not. 10; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. XLIII.

[5] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12 n. 1, unde patet, Burchardum non fuisse monachum, neque Olbertum olim ejus confratrem, uti putavit PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 125. Vide hic SCHERER in *Kirchenlexikon*[2]. II. col. 1524—1526.

[6] Collectio haec prodiit post a. 1012, quia ibid in. Lib. II. c. 227 jam invenitur Epistola formata sive commendatitia ipsius Burchardi, signata a. 1012 (cfr. etiam c. 1. D. LXXIII; BERARDI. *Gratiani canones.*[2] P. I. p. 79—81), non vero post a. 1022, quia in omnibus manuscriptis concilium habitum in Salegunstat (Seligenstadt, prope Francfort) a. 1023 (non a. 1022 cfr. HEFELE-LECLERCQ. *Hist. d. Conc.* IV. 2. p. 920. not. 3), cui concilio interfuerat Burchardus, tantum per modum appendicis huic collectioni apponitur. Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12 n. 2; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 12. not. 21; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 124.

[7] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III; idem in *Kirchenlexikon*[2]. II. col. 1525; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 125. Vide etiam Praefationem ipsius Burchardi apud BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12. n. 4.

materiis disciplinae ecclesiasticae, praesertim vero in Libr. 6—14 et 16—19 de materia criminali et poenitentiali[1]. Liber 19^us vocatur *Corrector* et *Medicus* et practice describit ordinem poenitentiae in usum confessariorum accommodatum, quamobrem etiam seorsim editus fuit et multum divulgatus[2]. Liber 20^us tractat de novissimis et vocatur *Liber speculationum* aut *Speculator*[3]. Ipse Burchardus in Praefatione sua fontes suos enumerat[4], ex quibus tamen non immediate sed mediantibus aliis collectionibus, quae sunt praesertim *Collectio Anselmo dedicata* et *Reginonis* (cfr. supra n. 95 et 97), materiam suam hausit[5]; plures autem inscriptiones falsas capitulis suis praefixit[6]. Totum opus ab ipso Burchardo vocatur *Collectarium*[7], sed a posterioribus scriptoribus et collectoribus communiter citatur ut *Decretum Burchardi*, sive simpliciter *Decretum* aut *Liber Decretorum*, vel etiam *Liber Brocardus* sive *Brocardicus*[8]. Magnam auctoritatem collectio haec consecuta est; etiam in ipsis Decretalibus Gregorii IX (cfr. infra.

---

[1] Textus sec. editionem Parisiensem a. 1549 invenitur apud MIGNE. P. L. T. 140 col. 537 sqq. Praefatio ibid. relata multum differt ab ea, quam in sua originali forma referunt fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12. n. 4. Vide etiam PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 125. not. 19, 20; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III. not. 15; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad. 12. not. 22—23.

[2] Cfr. MIGNE. P. L. T. 140 col. 949; SCHMITZ. *Die Bußbücher.* I. p. 762; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 24. IX.

[3] Cfr. MIGNE. P. L. T. 140. col. 1017; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 124. not. 18; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12. n. 4; MIGNE. P. L. T. 140. col. 539—540 in medio coll. c. fine Praefationis.

[5] Cfr. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. XLV; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 126; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III; THEINER. *Über Ivo's vermeintl. Decret.* p. 13—14. Disputatur quidem a nonnullis, quid veniat nomine *Corpus canonum* a Burchardo inter fontes suos enumeratum; fratres BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12. n. 5 hic intelligunt collectionem *Ps-Isidorianam*; item SCHERER. l. c. not. 12; * RICHTER. vero *Beiträge z. Kenntnis d. Quell. d. canon. Rechts.* p. 52 sqq. et PHILLIPS. l. c. not. 22 censent hic intendi collectionem *Anselmo dedicatam.*

[6] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 12. n. 5; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. XLV; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 12; VERING. *Lehrb. d. . . . Kirchr.*[3] § 24. IX.

[7] Vide finem Praefationis Burchardi apud BALLERINI. *De antiquis . . collect.* P. IV. c. 12. n. 4.

[8] Cfr. PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 125; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III.

Period. II. cap. 3) quaedam capita sub titulo: *Ex Brocardo* sive: *Ex Brocardico Libro* ex hac collectione desumpta sunt[1].

99. Liber Algeri[2]. Ad collectiones in regionibus Germaniae adornatas reducitur liber, quem Algerus, canonicus et magister Leodiensis, postea monachus monasterii Cluniacensis († circa 1130) ante a. 1121 edidit sub titulo: *Liber de Misericordia et Justitia*[3]. Dividitur in tres partes, quarum prima agit de misericordia lapsis exhibenda, secunda de justitia et de materia judiciali et tertia de iis, qui sunt extra Ecclesiam[4]. More casuistico magis procedit et post asserta sua in argumentum adducit varios textus et canones, quem modum postea Gratianus in Decreto suo imitatus est[5]. Fontes ipsi praesertim fuerunt praeter *Decretum Burchardi* et opus *Anselmi Junioris* (cfr. supra n. 96. 1 et 98) collectio *Hadriana* et *Ps-Isidoriana* (supra n. 76 et 86) et Epistolae S. Gregorii M.[6].

---

[1] Cfr. c. 2. X. *de sponsa duorum.* IV. 4; c. 1. X. *de frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi.* IV. 15; c. 8. X. *de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus.* V. 1. Materia decreti Burchardi fere tota similiter invenitur in collectione, quae dicitur *Collectio duodecim partium*, ita vocata, quia ob honorem erga numerum Apostolorum in duodecim partes divititur. Collectio haec, nondum typis impressa, aliter ac sentit * THEINER. *Disquisitiones criticae.* p. 308 sqq., qui eam ut fontem Burchardi consideraverat, ex sententia communi ex Decreto Burchardi desumpta est. Ita post * WASSERSCHLEBEN. *Beiträge z. Gesch. d. vorgrat. Kirchenrechtsquell.* p. 38 sqq.; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 13; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 127—128; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. III et not. 16 et FOURNIER in *Revue d'histoire ecclésiastique.* XVI (1921) p. 230—231, qui ibid. p. 31 sqq. et p. 229 sqq. diserte de hac collectione agit. Vide adhuc BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 18. n. 7; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. XLVIII.

[2] De vita Algeri ejusque operibus vide KOBER in *Kirchenlexikon*[2]. I. col. 544—546; HÜFFER. *Beiträge z. Gesch. d. Quell. d. Kirchr.* p. 1 sqq.; 17 sqq. et 45.

[3] Cfr. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 219. CHELODI. *Jus de Personis.* n. 46 ad collectiones *Gallicas* hanc collectionem remittit, qua de re judicent historici.

[4] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. IX; KOBER in *Kirchenlexikon*[2]. I. col. 545.

[5] Prima vice hoc assignavit * RICHTER. *Beiträge z. Kenntnis d. Quell. d. canon. Rechts.* p. 7 sqq.; cfr. dein SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. IX; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXXII; SÄGMÜLLER. *Lehrb. d. Kath. Kirchr.*[2] § 40. n. 12.

[6] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 36; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53 IX et not. 37; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 136. Textum operis Algeri post Martene refert MIGNE. P. L. T. 180. col. 857 sqq. Aliud opus quod vocatur *Liber sententiarum* ab Hüffer in manuscripto Parisiensi detectum, pari modo Algero adscribendum et a Gratiano adhibitum esse ostendit idem HÜFFER. *Beiträge z. Gesch. d. Quell. d. Kirchr. ...* p. 1 sqq. Vide FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXXII; WALTER-GERLACH. l. c. n. 100*. not. 58* coll. c. n. 101* not. 14*.

Articulus III

De Collectionibus Galliae

100. Collectiones Ivonis[1]. S. Ivoni, Episcopo Carnutensi (Chartres) († circa 1117) tres collectiones canonum adscribuntur, quarum duae potissimum specialem mentionem merentur[2]. Prior vocatur *Decretum* et dividitur in 17 partes sive Libros et tractat de fide, de Sacramentis, de personis et de rebus ecclesiasticis, de criminibus, de poenis et de poenitentia. In Libro 16, qui de officiis laicorum agit, plurimae leges civiles ut fontes adhibitae fuerunt; in ultimo Libro referuntur quaedam sententiae dogmaticae S. S. Patrum[3]. Altera collectio vocatur *Panormia* (a πᾶς et norma) sive, ut nonnunquam legitur *Pannomia* (a πᾶς et νόμος) et dividitur in 8 Libros, qui materiam suam potissimum hauriunt ex ipso Decreto sed meliori ordine systematico prae hac collectione eminent[4]; eadem Praefatio utrique collectioni praefigitur[5]. Alia collectio, quae voca-

[1] Cfr. hic potissimum * P. FOURNIER. *Les collections canoniques attribuées a Yves de Chartres.* (Bibliothèque de l'Ecole des Chartes. T. LVII et LVIII 1896—1897, passim) et in opusculo separato. (Paris. Picard. 1897); Idem in *Revue des Questions historiques.* (Paris 1866 sqq.) T. LXIII. (1898. I.): p. 51 sqq., p. 384 sqq. in specie p. 393—398, ubi concludit, tres collectiones vulgo Ivoni adscriptas, reapse ab ipso aut saltem ipso dirigente prodiisse. De vita S. Ivonis, Episc. Carnut. vide adhuc KREUTZWALD in *Kirchenlexikon*[2]. VI. col. 1144—1146.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 132 sqq.

[3] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 26; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII. Textum vide apud MIGNE. P. L. T. 161. col. 47 sqq. secundum editionem Frontonis (Paris 1647), quae tamen critica ratione minime eminet. Cfr. FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LIV; item WALTER-GERLACH. l. c. not. 41.

[4] Cfr. WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 27; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 132—134. Textus invenitur apud MIGNE. P. L. T. 161. col. 1041 sqq. sec. editionem Vosmedianam (h. e. Melchioris a Vosmediano Lovanii 1557) „quae ... nihil est"-ut ait FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LX — „quam integra Brandiana editio (Sebastian. Brandt. Basileae 1499) cum omnibus ejus mendis."

[5] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 132—133. Vide quae referat MIGNE. P. L. T. 161. col. 1041—1042. Immerito, ut videtur THEINER in opere jam citato: *Über Ivo's vermeintliches Decret.* (Mainz 1832) passim (cfr. jam initio p. 1—2, ubi conspectus generalis traditur, dein Pars II ibid. p. 26 sqq.) item in * *Disquisitiones criticae.* p. 162 sqq. (cfr. etiam MIGNE. l. c. col. XLIX sqq.) Decretum Ivoni abjudicat; e contra fratres BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 16. n. 4—7 quaedam dubia referunt, num Ivoni adscribi possit Panormia, quod hodie communiter non dubitatur. Cfr. KREUTZWALD in *Kirchenlexikon*[2]. VI. col. 1146; PHILLIPS. l. c. p. 132—134,

tur *Collectio trium partium* sive *tripartita* Ivoni quoque, saltem partim, tamquam auctori attribui debet[1]; prima pars refert Decretales potissimum ex Ps-Isidoro desumptas; altera pars continet canones conciliorum ordine chronologico dispositos; tertia pars est tantum compendium Decreti Ivonis[2].

Articulus IV

De Collectionibus Hispaniae

101. Collectiones Caesaraugustana et Tarraconensis. Praeter collectionem: *Polycarpus* Cardinalis Gregorii (cfr. supra n. 96 ad 4.), quae, utpote dedicata Episcopo Compostellano etiam Ecclesiis Hispaniae destinata fuisse videtur, adhuc hic notandae veniunt collectiones *Caesaraugustana* et *Tarraconensis*, ambae typis nondum impressae et ex saeculo circiter duodecimo oriundae[3]. Prior ita

---

qui ibid. p. 133 dubitat tantum de authentia Decreti. Cfr. hic omnino FOURNIER cit. p. 159 not. 1 v. g. in *Revue d. Quest. hist.* T. LXIII (1898. I.) p. 393—398. Panormiam post Decretum compositam esse et non vice versa hodie communiter tenetur contra THEINER. l. c. et BALLERINI. l. c. n. 8. Vide PHILLIPS. l. c. p. 133—134; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 26 et 27 et not. 42; SCHERER. l. c.; FOURNIER. l. c. p. 396—397.

[1] Ita FOURNIER in *Revue d. Quest. hist.* T. LXIII (1898. I.) p. 393—394. Aliter FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXIII et SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII. THEINER. *Über Ivo's vermeintl. Decret.* p. 26 sqq. censet hanc collectionem, quam Ivoni abjudicat tamquam fontem inserviisse et Panormiae et Decreto. De hac collectione, quae typis nondum impressa est cfr. adhuc THEINER. l. c. ab initio et imprimis p. 17 sqq.; BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 18. n. 2; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 28; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 134—135.

[2] Cfr. SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VII et not. 33; FOURNIER in *Revue d. Quest. hist.* T. LXIII (1898. I.) p. 393 sqq.; secundum hunc auctorem prima et secunda pars ab ipso Ivone aut sub ejus directione compilatae esse videntur ante Decretum et Panormiam. De quibusdam excerptionibus ex collectionibus Ivonis factis vide SCHERER. l. c. not. 34; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 26—28 et not. ibid; FOURNIER. l. c. p. 398 sqq. De reliquis collectionibus in Gallia adornatis, cfr. SCHERER. l. c. IV, ubi i. a. de collectione S. Abbonis, Abbatis Floriacensis (Fleury) († 1004), Regi Francorum Hugoni ejusque filio Roberto dicata, quam vide apud MIGNE. P. L. T. 139 col. 471 sqq. Cfr. etiam BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 11. n. 4; WALTER-GERLACH. l. c. ad 11; AMANIEN in VILLIEN-MAGNIN. *Dictionnaire de Droit canonique* (Paris 1924) i. v. *Abbon de Fleury*, qui bene ibid, col. 74 complet elenchum locorum ex collectione Abbonis in Decreto Grationi assumptorum, incomplete exhibitum a FRIEDBERG, *Corp. Jur. Can.* I. col. XXXVIII. n. 48.

[3] Cfr. BALLERINI. *De antiquis . . . collect.* P. IV. c. 18. n. 10 et 11; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 14 et 31; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VIII et not. 35.

vocatur a loco, ubi reperta fuit (Saragossa)[1] et in 15 Libros divisa continet decretales R. R. Pontificum usque ad Urbanum II inclusive (1088—1099)[2]. Altera, quae etiam collectio *Populeti* vocatur a loco *Poblet* „duodecim millibus Tarracone distanti[3]", ubi conservata fuit, in 6 Libros distribuitur et continet decretales R. R. Pontificum, quarum recentiores sunt decreta S. Gregorii VII (1073—1085)[4].

En collectiones praecipuas inde a Ps-Isidoro usque ad tempora Gratiani adornatas; „eas vero omnes Gratiani Decretum paene oblitteravit[5]".

---

[1] Cfr. ANTONIUS AUGUSTINUS, Archiep. Tarraconensis. *Dialogorum Libri duo de emendatione Gratiani.* (Editio Steph. Baluzii in Indicem relata. Decr. 19 Dec. 1673) (Paris 1760). Lib. I. Dialog. 5; BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 18. n. 11; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VIII et not. 35; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 135 et not. 55; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 31.

[2] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 18. n. 11; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VIII; PHILLIPS. *Kirchenrecht.* IV. p. 135; FRIEDBERG. *Corp. Jur. Can.* I. col. LXXI.

[3] Ita apud BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 18. n. 10; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VIII. not. 35; WALTER-GERLACH. *Lehrb. d. Kirchr.*[14] n. 100* ad 14.

[4] Cfr. BALLERINI. *De antiquis ... collect.* P. IV. c. 18. n. 10; SCHERER. *Hdb. d. Kirchr.* I. § 53. VIII not. 35. Merito cl. WERNZ. *Jus Decr.*[2] I. n. 221. not. 189 attentionem revocat ad ultimum numerum, nempe n. 15 Cap. 18. Part.I V. dissertationis fratrum BALLERINI, ubi doctissimas suas disquisitiones de antiquis collectionibus et collectoribus canonum concludunt.

[5] Ita jure CARD. GASPARRI in *Praef.* Codicis. alin. 4 in fine.

Index

Tractatus I

De Notionibus Generalibus Juris Canonici

Pag.

Caput I. De Natura Juris in genere 1
Caput II. De Natura Juris Canonici 13
Caput III. De Scientia Juris Canonici 20

Tractatus II

De Fontibus Juris Canonici 33

Pars I

De Fontibus existendi Juris Canonici 35

Sectio I

De Fontibus ab Ecclesia propositis 36

Caput I. De Jure naturae 36
Caput II. De Jure divino-positivo 38

Sectio II

De Fontibus ab Ecclesia constitutis 42

Caput I. De Jure apostolico et quasi-apostolico 43
Appendix. De Jure Tradito 44
Caput II. De jure Conciliorum Oecumenicorum 47
Caput III. De Jure Pontificio 50
Art. I. De Actis ipsius Romani Pontificis 53
Art. II. De Actis Curiae Romanae 61

Sectio III

De Fontibus ab Ecclesia receptis 66

Caput I. De Jure civili in genere 68
Caput II. De Jure Romano 73
Caput III. De Jure civili moderno 86

Pars II

De Fontibus cognoscendi Juris Canonici 88

Sectio I

De Collectionibus Juris Canonici ante novum Codicem exaratis . . 93

Pag.

Periodus I

De Collectionibus Juris Canonici ab initio Ecclesiae usque ad Gratianum (circa 1150) 93

Caput I. De Collectionibus pseudo-apostolicis 93

Caput II. De Collectionibus Ecclesiae Orientalis 101

Caput III. De Collectionibus Ecclesiae Occidentalis 105

Art. I. De Collectionibus Juris Generalis 105

Art. II. De Collectionibus Juris specialis 119

Caput IV. De Collectionibus spuriis Saeculi IX 127

Art. I. De Collectione Pseudo-Isidoriana 127

Art. II. De aliis Collectionibus spuriis Saeculi IX . 146

Caput V. De Collectionibus inde a Ps-Isidoro usque ad Gratianum 151

Art. I. De Collectionibus Italiae 152

Art. II. De Collectionibus Germaniae 155

Art. III. De Collectionibus Galliae 159

Art. IV. De Collectionibus Hispaniae 160

260.2 Liddsman, Bernard
AUTHOR
L 728 Introductio in jus
TITLE
Vol. 1 canonicum
DATE DUE | BORROWER'S NAME

260.2
L728
V.1